

181.

Ung. B IV

A 181

~~1717~~


EX BIBLIOTH.


NATIONIS HUNGAR.

II A isi.

VITEBERG.

SIGNAT. 1713CCCCXIII.





DISPUTANDI METHODUS

apprime in usum

SCHOLASTICÆ

JUVENTUTIS

brevissimè delineata

à

M. JOHANNES Pretten/

antehac Scholæ Cathedralis

Naumburgi Rectore, nunc verò Ædis

Wenceslaicæ ibidem

Leopoldus Joh. Diakon. Bellcherzky 1805.




LIPSIÆ,

Sumptibus JOH. SCHEIBII, Bibli.

ex Chalcographeo Joh. VVittigau.

ANNO 1669.



(3)

V I R O

Clarissimo, Prudentiâ & Candore

Spectatissimo

DN.

M. DAVIDI Sipachen

Senatori, atqve Aedis Wenceslaicæ

Curatori Dignissimo, Compatri

& Amico suo Edecu-

maro

DEI TRINUNIVS GRATIAM!

Fidem Tuam, *Compater & Amice*
Honoratissime, intemeratam &
sinceram reapse perspexi satis abun-
danter. Vidi linguæ cordisque ele-
gantio rem, quamvis rariorem alias,
in Te harmoniam. Quapropter ar-
tiore amicitiaæ Tuæ nodulô alligari
Tibi magis magisque exoptavi. Dam-
natus etiam sum voris; speroqve Te
post mortem meam & mihi & Meis
fore amicum ac patronum. Ut au-
tem aliquod suppeteret Tibi $\mu\upsilon\eta\mu\omicron$

A 2

$\sigma\upsilon\upsilon\upsilon\upsilon$

(4)

ευρον, quod, quum forsan DEI fatō
ex conspectu Tuo prius abire iustus
sim, cineres meos, potius fidem (præ-
fiscini dico) amoremque in Te meum
reciprocum in memoriam revocaret,
ecce, chartaceum hoc offerre Tuoque
inscribere Nomini placuit. Equidem
præstantius quidpiam pro monitoriō
ejusmodi relinquerem, sicut *Jonathan*
Davidi suo in amicitiae memoriam
dedit suam tunicam, cingulum, gla-
dium atque arcum, 1. Sam. 18. v. 4.

Sed non hac mihi vis, non tibi talium

Res est, aut animus deliciarum egens,

Cum Flaccō me excuso, lib. 4. od. 8.

Etiā parva à Te amari scio. Accipe
igitur hoc parvum atque tenue. ante
iplos quinque annos, quum DEI nutu
è Scholâ Cathedrali egrederer, ela-
boratum; siquidem & *in tenui labor*
est, Virgiliō teste, lib. 4. Georg. v. 6.

DEUS OPT. MAX. Tibi sanitatem,
prudentiam, omnigenamque bene-
dictio-

(5)

ditionem coelitus largiatur, ut Ecclesiam Curiamque nostram, quod sedulo ac laudabiliter hucusque facis, consilio operaque adjuves quam diutissime! Vale cum Dilectissimâ Tuâ Coniuge ex voto, & fave

Scrib. Naumburgi d. 1. August.

1669.

T.

M. JOHANNI Pretten.

A 3

Lect.



*Lectori à DEO optimam
salutem!*

Non equidem ignoro, L. H. aliquot non infimæ eruditionis viros de *Disputandi Methodo ac Processu* doctissimè conscripsisse: sed verò, quum hi Auctores aut prolixius, aut difficilius, pro tyronum quidem captu, sua scripta ediderint; aut unum atque alterum, quod disputationem illis adhuc faciliorem reddat, (absit arrogancia) inseri potuerit, mihi fuit propositum, omnia, quæ ad Processum Disputandi pertinent, *arctissimè comprehendere, & universam rem facillimis ac evidentissimis verbis dilucidare*; idque tantummodo in *Scholasticæ Juventutis*, cui regendæ tum temporis Divinà Gratiâ præfui, emolumentum.

(7)

mentum. Huic primam quasi viam digito ostendere erat animus, ne *Disputationem* pro insolito monstro, ac neutiqvam superando haberet, atque inde à studiorum continuatione prope modum deterreretur. Deinde, ut ne, dum ingentem difficultatem, longissimumque ætatis spacium requirerentem in disputandi artificio addiscendo juvenes sibi fingunt, præproperè ad Academicas *ἀνεργασίας* accelerarent, omnis interim necessariis & optimis fundamentis. Tertiò, ne planè rudes in disputandi modo essent, sed cum feliciori commodò disputationes caperent, & quæcunqve imposterum in Academiis audiverint, legerint, utiliùs faciliusqve fundamentis superstruerent. Hunc ergò finem triplicem si quis ingenuus & cordatus exquisitiùs paulò perpende- rit, non dubito, quin meum institutum ab illo æqui boniqve erit con-

A 4

sal-

sultum. Faxit itaque *Cœlestis & In-*
creata Sapientia Patris, Christus, qui
 ipse quoque disputandi artificium,
 adversarios suos impugnando conse-
 cravit, ut nostrum propositum in Sui
 honorem, & Juventuris commodum
 felicissimè decurrat! B. V.

CAP. I. *De Disputationis Defini-*
tione.

CAP. II. *De Disputationis Materia.*

CAP. III. *De Disputationis Fine &*
Necessitate.

CAP. IV. *De Disputationis Formâ.*

CAP. V. *De Personis disputantibus*
& earum officiis in genere.

CAP. VI. *De Opponente & ejus officiô*
in specie.

CAP. VII. *De Respondente, ejusq; offi-*
ciô speciali.

CAP. I.

(9)

CAPUT I.

De

Disputationis Defi-
nitio.

§. I.

Vox, *Disputare*, non absurde
componi videtur ex inse-
perabili Præpositione, *dis*,
quæ diversitatem, inimicitiam, repu-
gnantiam &c. notat, & ex Verbo, pu-
tare, quatenus idem est, ac *sentire*,
existimare &c. ut *Disputare* nihil aliud
sit, quàm, *contrà* & *ex adverso senti-*
re. Varronis Etymologia hæc est,
quum Verbum *putare* eâ significatio-
ne intelligit, ut significet, *purum fa-*
cere, & hinc *Disputatio* dicatur *ille*
sermo, in quò *pura disponuntur verba*
ne sit confusus atq; ut diluceat, lib. 5.
de Ling. Lat. c. 7. p. m. 40. Videtur
Metaphora ab hortulanis inutilia
amputantibus.

A §

§. 20

§. 2. *Disputator est Analyticus omnium controversiarum in omni scibili occurrentium, ad discernendum verum à falso.* Ita definit Danhauerus Id. bon. Disput. sect. 1. §. 21.

§. 3. Unde nos in Abstracto sic definimus: *Disputatio est Analysis controversiarum in omni &c.*

§. 4. *Disputare est, allatis argumentis veritatem vel ignotam in lucem proferre, vel jam notam confirmare, & adversus contradicentes asserere & tueri.* Hornejus cap. 1, de Process. Disput.

§. 5. *Disputatio est ejusmodi tractatio problematis seu questionis conjunctæ, quâ duo adversarii inter sese congregiuntur, ita ut alter Opponentis, alter Respondentis munus obeat.* Keckerm. System. Log. plen. part. 2. lib. 2. c. 7.

§. 6. *Singulæ hæ Definitiones verum dicunt, & amicissimè, quanquam*

NON

Disputationis Definitione. II

non iisdem verbis, veluti conspiciant.

§. 7. *Genus* in primâ Definitione est, *Analysis*, seu *Resolutio*: resolvit enim Disputatio argumenta, dividit in suas partes, examinat connexiones, & conclusiones reducit ad sua principia, ex quibus factæ sunt, ut appareat, unde res sint desumptæ, & quomodo connectantur. Id propter aliqui hanc *Analysin* cum *Anatomiâ Medicorum* venustissimè comparant: uti enim Medicus ex *anatomia* seu dissectione cadaveris scrutatur, quæ ratione membra sint connexa, & quomodo unum alterum adjuvet: ita ex dissectione seu resolutione *Syllogismi* in disputatione videmus, quomodo Propositiones sint connexæ, ex quibus principiis probatio desumatur, & quæ ratione conclusio ex his eliciatur.

§. 8. *Differentia* primæ Definitionis petitur (1) à *Formâ*, quæ voce

A 6

Con-

Controversiarum, significatur. *Con-*
troversantur enim in disputatione ad-
versarii contradicentes, dum alter al-
 terius argumenta resolvit & exami-
 nat. Hoc ipsum indicatur in Kecker-
 manni Definitione hisce verbis: *qua*
duo adversarii inter sese &c. Itidem
 Horneji verbis: *allatis argumentis*
adversus contradicentes asserere &c.
 Quo respicitur ad principale instru-
 mentum, quò ejusmodi analysis per-
 ficitur, quod est unicè Logica; unde
 & hæc analysis dici debet Logica, ut-
 pote quæ differt ab analysi Rhetoricâ,
 Poëticâ & Grammaticâ, quæ aliâ sit
 formâ, quàm opponendô & respon-
 dendô.

§. 9. Petitur Differentia (2) ab
Objecto seu *Materia*, de quâ disputa-
 ri debent. Ea his verbis in primâ
 Definitione comprehenditur: *omni-*
um in omniscibili occurrentium. Hæc
 universalitas objecti etiam in reliquis
 De-

Definitionibus latet, quum indefinitè & generatim dicitur, *disputationem esse problematis tractationem*: Et per *disputationem posse veritatem argumentis proferri atq; confirmari.*

§. 10. Petitur Differentia (3) à *Fine*. Ille expressis verbis in prioribus duabus Definitionibus ponitur, quòd sit, *Veritas, seu, veri à falso discretio*. Ob quod tamen Keckermani Definitio non vitiosa existimetur, siquidem in eâ Finis implicitè ponitur; dum enim mentionem facit adversariorum de materiâ aliquâ conredientium, insimul includit pugnae hujus Finem, qui est, *veritas*. Sanè hanc ob causam cum adversariò congregior in disputatione, ut *veritatem obtinere velim.*

A 7

CAP.

*Objecto seu Materia
Disputationis.*

§. I.

QUum Logica solum sit omnis disputationis amussis; hæc autem rem quamlibet (suo tamen modo) pro Objecto agnoscat, facile concludi posset, res omnes etiam materiam esse disputationis.

§. 2. At verò si Aristotelis mentem sequimur, illa thesis duntaxat in disputationem veniat, *de qua dubitare quispiam possit, egens rationis, non autem pœnæ aut sensus*, lib. I. Topic. cap. II.

§. 3. Pergit Philosophus rem ita explicare: *nam qui ambigit, an Deos oporteat coli, & parentes diligere, is pœnâ indiget. Qui dubitat, nivem esse albam, eget sensu.*

§. 4.

§. 4. Sequitur hinc, *materiam disputationis debere esse dubiam seu probabilem*, quæ aliquibus vera, aliquibus autem falsa videri potest.

§. 5. Etenim de illis rebus disputari non debet, quæ naturali nostra cognitione ita aut vera, aut falsa sunt, ut aliô modô se habere nequeant, uti sunt principia à naturâ nobis ingenta v. g. *impossibile est, idem simul esse, & non esse. Quodlibet est, aut non est. Totum est majus sua parte. Omne animal est vivum. DEUS verè existit &c.*

§. 6. Quæ contra pietatem sunt, non sint materia disputationis, e. g. *an DEUS colendus? an DEUS sit injustus? an malis delectetur? an parentes honorandi?* De his enim qui dubitat, impius nominatur.

§. 7. *Materia disputationis non pugnet cum Virtute.* Ideoque non dispu-

spu-

sputetur, *an liceat furari, scortari, homicidia committere, &c.*

§. 8. *Materia disputationis non ad-
versetur sensibus.* Ità insigni labora-
ret amentia qui disputaret, *an Sol lu-
ceat? an pluvia sit humida? an viola
oleat?* quandoquidem hæc perquam
manifesta sunt sensibus, ut nullò mo-
dò veniant in dubium.

§. 9. Si tamen aliquos tanta men-
tis imbecillitas occupet, ut de tam
evidentissimis dubitare velint, tum
potissimum falsè ac facetè istis re-
spondeatur, quemadmodum *Doctis-
simus Scheiblerus part. 4. Oper. Logic.
cap. 18. num. 109.* comprobat exem-
plis. Quum Zeno Philosophiæ Stoi-
cæ auctor disputaret, *num detur mo-
tus?* tum Diogenes facetus ille juxta
ac sapientissimus Philosophus in au-
ditoriò discurret. Interroganti ze-
noni, quid sic ageret? respondit: re-
futo tuas theses. Idem Scheiblerus

EX

ex Avicennâ ait, eos, qui hoc principium communissimum, *quodlibet est, aut non est*, negant, tam diu igne torrendos esse donec fateantur, non idem esse, uri, & non uri; dolere & non dolere.

§. 10. Inde vulgaris nata est regula: *contra negantem Principia non est disputandum.*

§. 11. Nam si Turca aut alius Paganus Verbum DEI, certissimum rerum omnium, quæ ad fidem & Religionem pertinent, ac infallibile Principium mihi planè negat, disputare cum eò nequeo, *tres esse personas in Deitate, quæ unus tantùm sint DEUS.* Neget aliquis hoc Principium Physicum: *omne grave tendit deorsum;* contra illum disputari non potest, quòd guttulæ pluviarum, si resolutæ sint, non possint pendere in aëre, sed naturali suo motu in terram delabi quasi appetant.

§. 12.

§. 12. Principia hæc sunt vel *communia*, quæ Metaphysica habet, & omnibus Disciplinis ac Facultatibus commodat: vel *propria*, quæ singulæ Facultates & Disciplinæ pro se habent. De hõc plura *cap. 4. §. 33. seqq.*

§. 13. Hic verò duo observanda veniunt. *Primò, necessum est, quandoq; Principia contra adversarium argumentis demonstrare. Tum confugimus vel ad contradictionis necessitatem, vel ad objecti evidentissimam claritatem.*

§. 14. *Ad contradictionis necessitatem fugio, quando adversarius alteram contradictoriam admittere cogitur, adeoque ad absurdum ducitur v. g. si quis neget hoc Physicum Principium: omne grave tendit deorsum; tum contradictoriam ejus admittet: quoddam grave non tendit deorsum;*
id

id quod falsum, & nullô exemplô demonstrabile.

§. 15. *Ad objecti evidentiam confugio*, si objectum Principii tam clarum & verum est, ut intellectus non dissentire possit. Et hoc præcipuè verâ experientiâ confirmatur.

§. 16. *Secundò, non omnia quæ Principiorum nomine circumferuntur, statim pro veris & primis principiis habenda sunt, e. g. quamvis in Theologiâ hoc Principium, quicquid in Bibliis affirmatur, id est verum, sit verum Principium: non tamen est primum & omnibus notissimum. Nam si Paganus istud rejicit, tum probo porro ab ejus Causa Efficiente nimirum DEO, qui ipsa est veritas. Sed & istud Principium, DEUM esse causam Sacre Scripture, rursus in dubium à Paganô & non reatô vocari potest. Id propter iterum potest demonstrari ab Effectu, & verâ experientiâ,*

entiâ, quando reapse ista fiunt. quæ
 DEI Verbum dicit, & quum ex Verbi
 Divini auditione mens humana illu-
 minatur, & varios bonos motus per-
 sentiscit, quod eâdem ferè ratione ex-
 plicat *Danhauerus Id. B. D. Sect. 1.*
§. 13. & 14. Conferatur Hülfemannii
Manual. Aug. Conf. disp. 1. th. 21. &
22. pag. 19. seq. disp. 6. quest. 2. num. 3.
pag. 249.

§. 17. Ergò requisita verorum
 Principiorum sunt (1) *ut sint veris-
 sima* (2) *ut sint notissima*, ità ut bene
 consideratis eorum terminis quemli-
 bet oporteat ea credere.

§. 18. Quoniam paulo antè de
experientiâ dictum est, non eam in-
 telligito experientiam, quæ falsa est,
 & apparenter tantùm vera; sed quæ
 verissima, & nunquam non certa.
 Hæc sanè fundamentum videtur o-
 mnium Principiorum, estque ipsa
 Principium minùs fallax.

§. 19.

§. 19. Cautè igitur providendum, ne statim experientiam vocemus testem, nisi exactè & absolutè cognitam illam cum suis rationibus habeamus. Nam sæpè sensus nostri falluntur, & uti volunt, ità sentire solent. Exempla videmus apud *Cornelium Martini lib. 2. c. 5. Analys.* Ibi Plotini affectæ experienciâ confirmare voluerunt, duo corpora posse simul esse in eodem locô, nimirum exemplô candentis ferri, quod quantitatem eandem fervet, quam habeat, si sit frigidum. Hoc Martini reprehendit, quòd aliorum sensibus fidem habeant, & probat itidem experienciâ, ferrum ignitum majoris esse quantitatis, quam frigidum. Similiter *Danbæverus* ex *Mendozâ* exemplum refert: Galenum experienciâ probare voluisse hepar in animalis generatione primùm fieri, eumque fidere Hippocrati qui rubras venulas hepatis staminibus similes

CON.

conspexit. Aristotelem verò itidem
αὐτὸ ψία probasse, se vidisse primùm
 dispositionem cordis. Utri ergò cre-
 dendum? Respondet Mendoza: *arbi-
 tror, utrumq̄, sibi visum fuisse, videre
 partem, quam primùm esse volebat.*
 Ita scilicet experientia læpè fallit.
Danhauer. cit. loc.

§. 20. Porro (ut in viam redea-
 mus) *materia disputationis non est o-
 nimis sublimis, nec capum nostrum ex-
 cedat v. g. si disputetur de numero
 stellarum exactissimò; de arena nume-
 rò in fluminibus; de profunditate ma-
 ris; de determinatò locò, ubi ventus
 excitetur; quid extra cælum sit, an aër,
 aut vacuum? de exquisita vita æternæ
 descriptione; de modò generationis
 Filii DEI; processionis Spiritûs San-
 cti, &c.*

§. 21. Hoc tamen neutiqvam igna-
 viæ ac ignorantiaë quorundam pa-
 trocinari debet, quasi in nullâ re
 sub-

subtiliore ingenium vires suas experi-
 ri deceat. Sublimes enim quæstiones
 laudabiliter ac utiliter in disputatio-
 ne locum habent, si, dicente Dan-
 hauero Id. B. D. Sect. I. S. 15. spectent
 ad gloriam Divinae veritatis eruendæ,
 & ad perfectionem naturæ, ac rerum
 essentia indagacionem, v. g. si dispu-
 tetur, an sol sit centrum mundi, aut
 terra? An sol & luna habeant macu-
 las? An terra moveri possit, & quo-
 rum moveretur, si à centrô suô recede-
 ret? Cur Deus homines, non autem An-
 gelos redimi voluerit? An baptismus
 iste, quum quis se ipse in necessitatis ca-
 su baptizet, sit efficax? An justitia Di-
 vine sit, hominem peccantem æternis
 & horribilissimis suppliciis afficere?
 An Angelis ante consummationem
 temporis, mysterium Incarnationis
 Filii DEI fuerit cognitum? An DEUS
 facere potuerit melius, quàm quo-
 modo fecit? Quam ultimam quæstio-
 nem

MEM

nem Scaliger Exercit. 249. subtil. 3. proponit, ita differens: otiosa est illustris hac questio novo huic vulgo, quā in superficie atq; supinitate, quam ipsi vocant, simplicitatem intellectuum contemplationis nostrae finem imposuerunt. Itaq; curiosos nos vocant, & Scholasticos, quum ipsi hoc, quod benedicunt, amant nescire sese, quare aut quomodo dicant. Asinis similes sunt, qui triticum ad molas ferunt. Recti namq; officii sui ignorant finem.

§. 22. Materia non sit vana & inutilis. v. g. an lapis, si haberet linguam, clamare posset & qualem vocem ederet? An stelle, si haberent animam, crescerent? Cur Deus septimum, nec alium diem quieti suae elegerit? Cur quatuor, nec plures paucioresve millenarios Messiae adventum distulerit? An baptismus, qui in versis vocibus fiat (e. g. in nomine Trispa, Liisi &c. pro, Patris & Filii &c.) sit efficax? inutile

tile ac vanum est; id quod imprimis
 culpat *B. Meisnerus in Scholiis Acade-*
micis ad Dissertat. de vitiosa theologi-
cè disputandi ratione. Hinc referunt
 quidam illud, quum disputatur, *AN*
Deus ante mundi creationem fuerit
otiosus? de quo Cic. de Nat. Deor. lib. 1.
 Iudit: uti faciunt Bodinus, Pereri-
 us, Scheiblerus, & alii. Multi tamen
 hanc quæstionem non adeò inutilem
 & curiosam habent, quum Scriptura
 S. expressè dicat, Deum ante mundi
 tempus prædestinasse electos ad salu-
 tem, genuisse Filium ab æterno, ab
 his processisse Spiritum S. Atque hæc
 salvâ pietate cogitari & responderi
 posse ajunt. Videatur *Balduin. Cas.*
Consc. lib. 2. cap. 4 cas. 1. Ubi nos hæc
 addimus: si speciales Dei actiones,
 quas ante mundi creationem egerit,
 cum circumstantiis curiosius scrutari,
 ac de illis disputare vellemus, tum di-
 sputationem fore inanem atque fri-
 volam.

B

§. 23.

§. 23. Tandem volunt multi, *materiam disputationis non esse debere obsoletam, & jamdudum judicatam*. Ubi verò dicimus, si exercitii gratiã ejusmodi materia repetatur, nec esse inutile, nec incongruum.

§. 24. Ex his patescit, omnium Facultatum, Artium ac Disciplinarum materias, de quibus dubiũ oriatur, sub disputationis incudem quasi trahi posse.

§. 25. Idpropter nec Sacrosancta Theologia hinc immunis erit, utpote in quã innumera conclusiones reperiuntur, quæ dubitationem in hominis mente gignunt, atque adeò disputandi ratione egent.

§. 26. Confirmat istud ipsa Coelestis Veritas & Sapiencia, Salvator noster suopte exemplo, dum, cum Judæis & horum sectis non semel tantum, ac vehementissimè de rebus sacris divinisque disputat.

§. 27.

§. 27. Comprobat quoque *D. Paulus*, Titum juniorem theologum, ac Divini Verbi ministrum monens, ut *contradicentes refellat*, 1. *Tit. 1, 9.* ubi vox ἐλέγχειν emphaticè usurpatur, quod propriè significat, *argumentis contradicentem convincere, redarguere, &c.* Et vers. 13. eãdem vece Titus hoc monitum denuò injungit, adjuncto emphatico Adverbio, ἀποτόμως, i. e. *severè*, uti *Erasmus* exponit: quod verò etiam, *precisè*, reddi potest, quò adversario omnis contradicendi facultas quasi præcidatur, ut nihil perfecti, atque solidi ad impugnandum amplius proferre valeat. Simpliciter *Petrus* suos catechumenos adhortatur, ut parati sint πρὸς ἀπολογία, ad *defensionem suã spei*, si quis de eã quaeratur. Ubi duæ voces, αἰτεῖν *querere*, & ἀπολογία *defensio seu responsio*, eleganter disputationis formam exprimunt, 1. *Petr. 3. v. 15.* Quemadmodum



Aristoteles etiam disputationem per
 ἐρωτᾶν καὶ ἀποκρίνεσθαι *interrogare &*
respondere in suis libris *Logicis* passim
 describit. Nec Christi disputatio cum
 Judaicis doctoribus aliter describitur,
 quàm per ἀγγέλων καὶ ἐπιρωτᾶν, i. e. *audi-*
re responsa & interrogare, *Luc. 2, 46.*

CAP. III.

De

Fine & Necessitate
Disputationis.

S. I.

CONJUNXIMUS Necessitatem & Fi-
 nem, quòd ambo hìc maximè
 convenient.

S. 2. Est autem veræ ac sinceræ di-
 sputationis *Finis internus ac principa-*
lis, sola veritas, quam absque disputa-
 tione nunquam ferè rectam & perspi-
 cuam indagamus. Unde Cicero lib.
 2. *Offic. ait: Veritas sola limitatur in*
disputatione.

S. 3. *Sinceram ac veram disputa-*
 tionem

tionem dixi, quòd detur quoque *falsa*
& *fucosa*, cujus Finis aliud quidpiam
est, quàm veritas.

§. 4. Ejusmodi disputatio est *Sophistica*, quum sophistæ (in deteriore sensu sumptâ voce) ostentationis, quæstus ac fallendi gratiâ disputant, uti *Cicero in Academicis Quest.* terè describit.

§. 5. *Internum Finem* dixi veritatem, quia in ipsa disputandi arte comprehenditur. *Externi* enim disputationum Fines varii sunt, ad quos internus Finis conducit, e.g. si de religione disputationes institui à Magistratibus diversarum religionum mandantur, ut imposterum bella ob discordes religiones componantur, & sit tranquillitas publica; tum disputantes theologi duplicem observant Finem; alterum internum, nimirum *veritatem*; alterum externum, qui extra disputationem est, *tranquillitatem*

tem publicam, & subditorum salutem.

§. 6. Principalem Finem dixi, quoniam & minus Principales multos disputationis habet, ut, si hujus gratiâ disputo, ut lingua magis disertâ fiat, regulæ Logicæ repetantur, iudicium acuatur, & quicquid aliud, præter veritatem, excogitari potest.

§. 7. Præterea alius adhuc Finis disputationis potest dari, qui olim fuit Pyrrhonicorum & Academicorum Philosophorum. Illi namque ideo disputabant, ut nihil certi statuerent, semper acquiescentes in dubio. Quam ob causam ἀπειρητοὶ, ἐφεκτικοὶ καὶ ἀπορητικοὶ, id est, dubitantes, sententiamque in mente retinentes, sunt nominati, de quibus A. Gellius lib. 11. c. 5.

§. 8. Quod si ergo justam veritatem ex solâ disputatione omnium optimè obtineamus: nos autem ratione præditi omnia veritatis causâ agimus, clarum

clarum est, disputationibus ingentem necessitatem inesse, quâ nullus, qui inter doctos numeretur, poterit carere. Necessitas hæc non solummodo validissimis probatur rationibus; sed Sanctorum quoque Patrum, quin ipsius Christi auctoritate. Confer *Hornej. Process. cap. 2.*

§. 9. Nec quicquam obstat multorum sententia quâ disputationes abrogandas censent, quòd ex illis oriantur rixæ, odia, turbæ publicæ, & incommoda alia. Respondet istis sufficienter *Danhauerus Id. B. D. sect. 1.*
§. 2. Sanè abusus disputationum non tollat usum verum.

CAP. IV.

De

Disputationis Formâ.

§. I.

Forma disputationis suprâ designata est duabus vocibus, *controversiæ*

B 4

&

& contradictionis. Et iterum hisce
 verbis: quum adversarii inter se con-
 grediuntur, ut alter Respondentis, alter
 Opponentis munus obeat, cap. 1. §. 2. 3.
 4. 5.

§. 2. Ex quibus fit liquidum, for-
 mam consistere in solâ ferè Contradi-
 ctione, quâ duo adversarii inter se ar-
 gumentis pugnant.

§. 3. Est enim Contradictio vali-
 disima Oppositionum, ideo quòd
 nullum agnoscat medium; neq; utra-
 que ejus Propositio simul vera, aut si-
 mul falsa esse possit: quum Contra-
 ria Oppositio interdum medium ha-
 beat, & utraque Propositio falsitatem
 contineat. Vid. *Martin. Analys. part.*
1. c. 2. Unde Aristoteles vocat, πρῶ-
 τήν καὶ μέγιστην primam & maximam
 inter Oppositiones, lib. 9. cap. 4. *Me-
 taphys.* Idem ait, hanc semper dividere
 verum à falso, cap. 7. & 8. de Inter-
 pretat.

§. 4.

§. 4. Sic tamen haud negamus, Contrariam quoque Oppositionem in disputatione interdum locum habere, præcipuè in materiâ necessariâ v. g. O. homo est animal. N. homo est animal. Nam & hîc semper una tantùm est vera, altera falsa: licet in materiâ contingenti non eveniat idẽ.

§. 5. Prætereà omnis Contrarietas simul Contradictionem in se continet. Etenim sub universali Propositione, quales ambæ sint Contrariæ, semper Particularis, qualis una modò est ex Contradictoriis, includitur.

§. 6. Hæc Contradictio rectè & legitimè est formanda, quod vulgò vocant, *statum controversiæ*. Hic si non rectè formatur, committitur Ignorantia Elenchi, uti Logica appellat. *Disputare enim velle, nec rationem contradicendi scire, magna est infantia & infamia*, inquit Martini Analys. part. 1. c. 2. Igitur cum adver-

B § sariò

fariō prius rectè informetur status, quod agis, quando accuratè, & uti fas est, contradicis.

§. 7. Si adversarius diceret: *homo est mortalis*, & intelligeret de corpore: tu autem contradiceres illi ita: *homo non est mortalis*, & intelligeres de anima, tum non legitima contradictio, atque adeò nec status controversiæ benè informatus.

§. 8. Non igitur dedecori vertatur, si in eiusmodi ambiguis Propositionibus alter ex alterò quærat, quò sensu suam Propositionem intelligat? Huc quadrant verba Martini, loc. cit. dicentis: *ab adversariò suò quærare te oportet, quid is statuatur. idq; tum sanctè, ut ne unam circumstantiam omit- tas; aliàs perierit tibi Contradictio.*

§. 9. Unde autem discatur, quâ ratione formanda sit vera Contradictio, non operosius quæri debet. Logica unicè hujus est magistra. Quare
&

& illa, *disputationis disciplina* ab Augustinô appellatur Lib. 2. c. 31. de Ordine. *Disputandi peritia*, lib. 1. contra Crescon. c. 13.

§. 10. Porrò Contradictio in disputatione per Syllogismum fiat, sine quô nec solidè, nec laudabiliter aliquis adversario suo contradicet.

§. 11. Sequitur ex his, formaliter esse disputandum, & omnem disputationem, si vera sit ac genuina, esse formalem. Hinc rectè à quibusdam dicitur: *disputare, non tamen formaliter, est Contradictio in adjecto*; vid. Martini Analys. part. 1. c. 10. & part. 2. c. 1.

§. 12. Est verò *formaliter disputare* nihil aliud, quàm *disputare Syllogismis, bonam formam seu consequentiam habentibus*.

§. 13. Dixi, *consequentiam*, quia hæc propriè spectat ad Syllogismi formam. Ubi enim forma est bona, sed

materia falsa, non debet dici, *falsa est consequentia*; sed, *falsa est connexio*.
 Scil. Prædicati cum subiecto, v. g. O.
stella est animata, Sol est stella, E. &c.
 Hic non consequentia negari debet,
 sed connexio Subiecti & Prædicati;
 nam forma bona est, materia autem
 falsa.

§. 14. Quamquam alii vocem con-
 sequentiæ latius sumunt, ut etiam
 materiæ applicent, & *consequentiam*
materialem nominent, ubi materia
 quidem vera est, sed forma falsa, e. g.
 O. *homo est animal, Lapis non est homo,*
 E. *lapis non est animal.*

§. 15. Non tamen propriè & ac-
 curatè adeò loquuntur: nisi dicere
 quis velit cum Danhauero Id. B. D.
 Sect. 2. §. 40. *consequentiam mate-*
rialem interdum potentiâ & virtute
etiam formalem esse, id est, materiam
 veram, sed malè dispositam in bonam
 formam verti posse, ut tamen vera
 ma.

maneat, v. g. *Omne illud, quod materia & forma perficiunt, est corpus. Materia & Forma perficiunt hominem. E. homo est corpus.* Hic Syllogismus in Tertiâ Figurâ esse videtur, sed accuratè loquendô, vitiosam habet formam. Nam Medius Terminus in Majore hic est: *illud, quod materia & forma perficiunt.* In Minore modo est, *materia & forma.* Ergò quatuor Termini emergunt, quod formam Syllogismi facit malam, licet materia sit verissima. Quum tamen materia hæc facilè bonâ formâ possit indui, manente ejus veritate: dici potest, quòd virtute & potentiâ formalem consequentiam habeat. Sic autem forma erit bona & explicita in primâ Figurâ: *Omne illud, quod materia & forma perficiunt, est corpus. Homo, est illud, quod materia & forma perficiunt. E. homo est corpus.*

§. 16. Sed verò quid hoc aliud est,

B 7

quàm

quàm Consequentiam ex solâ bonâ
formâ nominari? Si enim ex mate-
riæ veritate Consequentia penderet,
quid opus esset, ut materia secundùm
aliam formam rectiùs disponeretur?

§. 17. Disputamus proinde & *cer-
tiùs & faciliùs*, quum Syllogisticè atq;
adeò formaliter disputare solemus.

§. 18. *Certitudo* hæc est; quum ex
veris Præmissis necessariò vera sequi-
tur Conclusio; ex falsis autem falsa.
Ideo emphatica sunt Aristotelis ver-
ba in Syllogismi Definitione, dum ait,
Conclusionem sequi ἐξ ἀνάγκης, *ex
necessitate*, h. e. ob necessariam &
immutabilem consequentiam forma-
lem, quia Præmissæ sunt causa Con-
clusionis. *Positâ namq; causa in actu
ponitur quoq; necessariò effectus.*

§. 19. *Facilitas* in hóc consistit,
quòd Syllogismus partim *memoriam*,
partim *intellectum* esu *judicium* ad-
juvet.

§. 20.

§. 20. *Memoria* succurritur dupliciter (1) dum illa, quæ pluribus verbis aliàs efferenda essent, paucissimis in Syllogismo coangustantur, qui semper, quantum potest, battologiam fugit, Laconismum amat. (2) dum res & verba concinnò ordine in Propositionibus ponuntur, nec confusè omnia miscentur. Unde dici solet: *ordo lumen memoria.*

§. 21. *Intellectui* auxilium fertur (1) quòd tam multis conceptibus non obruatur (2) quòd celerius judicare possit: ubi enim ad plura verba attendimus, ibi memoria quasi subtrahit iudicio multas vires, ut non tam expeditè & facilè judicare valeamus. (3) quòd Syllogismus nobis naturâ insit; unde & indocti homines ex naturali Logicâ, h. e. naturæ & rationis vi insitâ quodammodo Syllogismos formant inscii & absq; difficultate, & quidem potissimum in prima Figura.

§. 22.

§. 22. Consequentiam formalem seu Syllogisticam, de quâ diximus, Logica artificialis præceptis suis docet: quibus qui caret, non magis disputare sciet, quam avis volabit sine pennis.

§. 23. Supponitur itaque, eum, qui disputaturus est, Logicam optimè callere. Hinc non opus est, ut in disputandi methodis univèrsa Logicæ doctrina prolixè & absolutè tradatur, sed ostendatur modò, quâ ratione præcepta Logica ad disputationis usum sint accommodanda.

§. 24. Non aliter, atque in Theologiâ, Juris prudentiâ, & Medicinâ fieri consuevit.

§. 25. Theologia enim ipsa res sacras atque theologicas, ad fidem pertinentes docet: Concionandi autem Methodus hasce res ad usum transferre monstrat. Ex Jurisprudentiâ ipsâ Advocatus jura & leges discit:

discit: Processus verò juris rectè & legitime iisdem uti inculcat. Ira & ipsa Medicina morbos & sanationem explicat; at methodus curandi usum, ordinemque explanat.

§. 26. Ex quò tamen haut sequitur, ipsam Disciplinam aut Facultatem, hujusque Methodum esse planè diversa: sed sunt quàm maximè propinqua, & conjuncta.

§. 27. Formâ igitur Syllogismi benè cognitâ & observatâ, ille, qui disputabit, ad *materiam* intentus esse debet.

§. 28. Primum quidem, quod in materia oportet observari est, ut termini propositionum rectè intelligantur; ubi verò Suppositionis doctrina, in quâ accuratè agitur, quàm significationem quælibet vox habeat, maximè est necessaria, vid. *Hornej. Proc. cap. 4.*

§. 29. Deinde ipsa Propositio est
con-

consideranda, qualis nempe connectio sit inter Prædicatum & Subiectum, & an cum veritate consentiat. Ad quod ex ipsa Disciplinâ aut Facultate, ad quam materia disputationis pertinet, cognosces.

§. 30. Hic ante omnia attendendum est ad *medium probationis*, quod est ipse *Medius Terminus*: is enim fundamentum est totius rei, de qua disputatur, & sine eo nihil indagabis veri.

§. 31. Quomodo autem *Medius Terminus* sit inveniendus, docent Logici. Ubi monemus, non tam ad nudas Logicas regulas esse respiciendum, quàm ad ipsas res, & earum scientias aut Facultates in quibus illa tractantur. Ex his, quâ ratione *Medium* invenias, omnium optimè addisces. Cognitis autem rebus, regularum illarum usum non penitus contempnes.

§. 32.

§. 32. Quum Medius Terminus semper sit ratio probandæ quæstionis seu Conclusionis, id propter dicitur *Principium*, quò aliquid probatur & cognoscitur.

§. 33. Quapropter benè cognoscenda & distingvenda sunt principia. Sunt enim vel *Communia*, vel *Propria*.

§. 34. *Communia* sunt, quæ ex Universali Entis natura dependent, & communia possunt esse rebus pluribus, in quacunque Disciplina & Scientia tractentur. Talia sunt, quæ in Metaphysica & Logica habentur, v. g. *Causa prior est causatô*. Hoc principium, quamvis in Metaphysica primò locum habeat, potest tamen ad alias Disciplinas plures referri: ut, ad Physicam, si dico: *Generans prior est generatô: materia prior est materiatio &c.* Ad Ethicam, si dico: *Cerebrum virtutis exercitium & assuesactio prius*

prius sunt Republicâ &c. Ad Politicam, si ajo: Cives prius sunt Republicâ &c. Ad Theologiam, si ita applico: Fides prior est ipsâ Justificatione, &c. Ejusmodi Communia principia sunt etiam hæc: Sublatâ parte, tollitur totum. De quo dicitur Species, de eo etiam dicitur Genus. &c.

S. 35. *Propria principia sunt, quæ ex particulari Entis alicujus natura sumuntur. Talia sunt, quæ unicuique Scientiæ aut Facultati sunt domestica. v. g. Quicquid habet materiam & formam, illud est corpus naturale. Omne corpus naturale habet principium motus & quietis. Omne mixtum constat ex elementis &c. Physicæ sunt propria. Omnis planeta est inferior stellâ fixâ. Quot horas ante Meridiem sol lucet super Horizonte, totidem & post meridiem &c. ad solam Astronomiam spectant. Omnis virtus acquiritur industriâ*

dustriâ principium est Ethicæ proprium. Fides justificat. Extra Christum nulla Salus &c. domestica sunt Theologia. Et ita porro.

§. 36. De communibus principiis notari debet, ea, si in ipsâ Disciplina sua, nempe Methaphysica permanent, non ampliùs esse communia, sed propria: ideoque veras & evidentes demonstrationes pariunt.

§. 37. Si verò Communia sunt, non pariunt evidentem & certam rei notitiam; sed tantummodò probabilem, & ex Dialectica, seu Locis Topicis deducuntur.

§. 38. Propria autem Principia clarissimam certitudinem & cognitionem gignunt. Atque his utitur Demonstratio seu Apodictica.

§. 39. Necessariò hîc cum *Hornejo c. 7. de Process. num. 2.* monemus, Demonstrationem hîc locò non tam strictâ sumi significatione, quatenus
necessa-

necessarias & immutabiles res semper
concludit, & ita Scientiis, seu Disci-
plinis Speculativis solùm competit;
sed latè, quatenus Demonstratio eti-
am ad Practicas Disciplinas refertur;
ubi itidem ex propriis ac domesticis
Principiis probationes petuntur. Quà
ratione etiam principia Theologiæ
propria possunt demonstrationem ac-
curatiorem producere, licet aliàs
Theologia resolvatur in auctori-
tatem, & testimonium DEI Revelantis,
nec homini in hac vita evidens esse
possit, quum fide sit tenenda.

§. 40. Quamobrem, qui verita-
tem inquirat, maximè demonstratio-
nem sectabitur, h. e. propriis princi-
piis ad probandum utetur. Quòd,
cum sæpè sit difficile, Dialectica est
interim adhibenda, ut ex communi-
bus principis probabiliter aut obscu-
rè cognoscas, quæ ex propriis clarè
percipere non potes, dicente *Horne-
jò, locà citatò.*

§. 41.

§. 41. Ceterum in Demonstratione, seu propriorum principiorum usu, caveas, ne planè alienis principiis utaris, hoc enim est *μετάβασις* eis ἀλλο γένος, id est *transitus in aliud Genus*. Arist. lib. 1. Posterior. Analyticor. c. 7. Id quod est maximum vitium.

§. 42. Per *Genus* hîc non intelligendum Genus Logicum, sed Physicum, h. e. Subjectum seu Minor Terminus, de quo affectio quædam ex proprio Principio demonstratur; adeoque etiam ipsa Disciplina aut Facultas, cujus Subjectum illud est proprium, simul intelligatur. *Hornej. c. 7. num. 4.*

§. 43. Ad veram igitur *μετάβασις* pertinet (1) *Subjectorum diversitas*; ut Subjectum, cui peregrinum principium applicatur, sit, omninò diversum & oppositū Subjecto ejus Scientiæ, cujus est principium propriū. v. g.

Nu-

Numerus & Magnitudo sunt diversa
 subjecta (seu objecta) diversarum
 Scientiarum. Numerus est subjectum
 Arithmeticae: Magnitudo seu Quan-
 titas continua subjectum est Geo-
 metriae. Si ergo Conclusio Arith-
 meticae propria probaretur principio
 Geometriae proprio, absq; dubio fie-
 ret μεταβασις.

S. 44. Requiritur (2) Principii
 veritas; ut vera sint Principia, quam-
 vis non hujus Scientiae sint propria,
 cui vitiosè adhibentur. Aliud enim
 est Principium falsum, aliud Princi-
 pium peregrinum. Differt ergo in
 hoc μεταβασις à Syllogismo Pseudo-
 grapho, qui ex falsis principiis falsa
 argumentatur: qualis Judæorum est,
 quò adulterium Davidis cum Bathse-
 ba excusant, ideò, quòd illa habita sit
 vidua: Quicumq; enim Davidis tem-
 pore in bellum exiisset, scripsisset uxori
 suae divortii literas, ne, si in bello
 forsan

forfan periret, illa sine viro esse cogere-
geretur.

§. 45. Requiritur (3) *Principiū peregrinitas*; ut principium sit prorsus alienum à materia illa, quæ demonstrari debet. v. g. Si Goslavius Photinianus demonstrabit, Filium DEI non esse æternum, tum hoc principium locò Medii Terminii affert, quòd nimirum vocetur, Verbum; Ab Aristotele autem Verbum definitur, quòd ad significet tempus; temporis verò ad significatione tolli æternitatem. Transitus hic vitiosus est; ubi malè è Theologia Photinianus transit in Philosophiam, & quidem in Logicam, h. e. Verbum Logicum, utpote principium peregrinum usurpat ad Verbum Theologicum seu Hypostaticum.

§. 46. Requiritur (4) ad falsam *μετάβασις demonstrandi Fixis*; ut aliena ista principia demonstrationis
C gratiā

gratiâ, h. e. ad probandum aliquid certissimè & necessariò, adferantur. Si enim aliâ fini, ut vel opinionem modò gignant, vel faciliùs doceant, hæc principia usurpantur, tum nequam est *μετάβασις*.

§. 47. Qui igitur secundùm hæc quatuor requisita ex unâ Disciplinâ in aliam transibit, is graviter peccat, nec quicquam evidenter demonstrat. Quum per demonstrationem pariatur Scientia, Scire autem sit *rem per causas & Principia proxima cognoscere*: proxima autem & immediata Principia hujus rei, de qua agitur, in sola illa Disciplina, ad quam res pertinet, inveniuntur; id propter non in aliam Disciplinam est transeundum atque ex hac aliena auferenda Principia, quibus nihil poterit probari.

§. 48. Quapropter, qui aliquid demonstrabit de homine, quatenus homo est, sumat Principia ejus Scientiæ,

tiz,

tia, cujus genuinum subjectum est homo, nempe Physicæ; & quidem sumat ex eâ Physicæ parte, ubi apprimè de homine agitur. Probaturus aliquid de lineâ, utatur Principiis non alienis, sed ejus scientiæ, quæ adæquatè de lineâ agit, nempe Geometriæ. Ita Theologus in rebus Theologicis probandis, ex Verbo DEI, cujus Subjectum sunt res Theologicæ, depromat Principia, & quidem ex illo libro & capite in quo præsentis rei tractatio potissimum habetur. Et ita quoque in rebus omnibus, de quibus aliquid demonstrandum, procedatur.

S. 49. Ubi tamen observationem quandam annectimus: *non statim esse veram μετὰ βασιον quæ talis videatur.*

S. 50. *Non ergo (1) Transitus est, quum Disciplina altera alteri subalternatur.* Est autem Subalternatio Disciplinarum, quum altera ab altera dependet. Quæ superior est, dicitur

C 2.

Sub

Subalternans & mater; quæ autem inferior, dicitur Subalternata & filia. Videatur Zabarella librò de tribus Præcognitis. c. 12.

§. 51. *Requisita potiora* Subalternationis sunt, primò, ut Objectum inferioris, seu subalternatæ scientiæ, comprehendatur sub Objecto Subalternantis & Superioris. v. g. Medicina & Physica sunt Subalternatæ, Physica quidem est Subalternans, Medicina Subalternata: Nam homo est objectum Medicinæ, & continetur sub objecto Physicæ, nimirum corpore naturali. Ità Musica & Arithmetica: Objectum enim Musicæ, nempe Numerus sonorus, continetur sub objecto Arithmeticæ, nimirum numero absolutè & in communi consideratò. Ità etiam Geometria & Optica; Hujus namq; Objectum Linea visualis, latet sub objecto illius, nimirum sub linea simpliciter dicta.

§. 52. Ab-

§. 52. *Alterum requisitum* veræ Subalternationis est, *ut Scientiæ*, licet subalternentur, tamen sint diversæ. Diversitas hæc consistit non in differentia essentiali, ut objecta earum per differentias essentielles, & ex eodem Prædicamento petitas, distinguantur.

§. 53. Sed diversitas hæc consistit in discrimine accidentali; ubi in subalternata scientia, ad objectum differentia quædam accidentalis, & ex alio Prædicamento desumpta, additur. v. g. Linea in Geometria tractatur essentialiter, & quatenus linea est; in Optica, seu Perspectiva, tractatur sub accidenti quodam, quatenus nimirum est visualis. Sic numerus in Arithmetica consideratur, quatenus numerus est: In Musica autem, quatenus sonorus. Homo in Physica, quatenus homo; in Medicina, quatenus sanabilis. Videatur *Eustachius Part. 3. Logic. Tractat. 3. de tribus speciebus*

*ciebus Syllogismi, Disputat. 1. Quæstio-
ne 5. Ruwio lib. 1. de Subalternatione
Scientiarum. c. 10. & cæteri. Nec
opus est, ut differentia hæc semper
sit sensibilis, uti vult Zabarella locô
citato, sed sufficit esse accidentalem;
videatur Scheiblerus Tract. Proëmia-
li in Opere Logico de Philosophia.*

§. 54. Tertium subalternationis
requisitum est, ut subalternans probet
principia suæ subalternatæ à priori;
quod in Logica vocatur Demonstratio
diòle, hoc est, propter quid; id quod
patet ex *Aristotele lib. 1. Poster. Ana-
lyt. cap. 10.* Cum quo consentiunt
plurimi Scholastici, *Thomas, Cajeta-
nus, Toletus, & alii.* Atque ideo de-
monstratio *òle* ad Subalternatam:
Demonstratio *diòle* ad Subalternan-
tem pertinere videtur. Unde princi-
pia propria Scientiæ subalternatæ
non sunt immediata seu indemon-
strabilia, sed possunt demonstrari per
prin-

principia Subalternantis. e. g. Principium Opticum est: Res à longè videtur sub minore angulo. Hoc principium non est immediatum, sed per principium suæ subalternantis, h. e. Geometriæ demonstrari potest, quod ita se habet: Omne quod videtur sub angulo magis protracto, id videtur sub angulo minore.

S. 55. *Nec (2) Transitus est, cum principia communia vel ad demonstrationes, vel ad argumentationes Topicas assumuntur: Sic enim coangustantur, & ad præsentem materiam cujuscunqve sit scientiæ, singulari modò applicantur. Talia sunt Logica & Methaphysica. v. g. Hoc principium Logicum est: De quo negatur Genus, de eo negatur Species; & tamen est commune pluribus scientiis. Potest enim applicari & coangustari ad res varias, nempe ad Theologicas, Juridicas, Medicas, Physicas, Ethicas &c.*

&c. & tamen quando sic applicatur, non fit μεταβασις. Conferatur Hornejus c. 7. num 8. de Processu.

§. 56. Neq³ (3) *Transitus est, quum falsa usurpantur principia; Aliud enim est, principia falsa afferre; aliud verò, principia peregrina falsò usurpare.* Sunt autem falsa vel secundum quid, & ex parte; vel simpliciter; & in totum. Principium falsum ex parte est, quum Prædicatum contradicit subjecto ex parte. ex. gr. *Omnis homo ridet, est principium ex parte falsum, quatenus nimirum homo pictus non ridet, vivus autem ridet.* Principium simpliciter, & in totum falsum est. Si prædicatum Subjecto totaliter contradicit, v. g. *Non Ens, strictissime ita dictum, habet accidentia: Lapis est animal &c.*

§. 57. *Transitus. (4) non est, quum Philosophus ex S. Scriptura & SS. Patrum Scriptis aliquid affert, quod suo scopo convenit.* Est enim Scriptura
Sacra

Sacra Liber, non Disciplina tractat
etiam multa, quæ in lumine naturæ
fundamentum habent. Patrum au-
tem Scripta ex S. Scriptura potissi-
mum sunt deprompta. In ambobus
tractantur Physica, Mathematica,
Chronologica, Astronomica, Ethica,
Theologica, Juridica, &c. in quibus
tamen omnibus unus considerandi
modus manet. Ubi distingvi debet
inter *S. Scripturam & Theologiam*.
Hæc Disciplina potest vocari: illa
minùs. Neque omnia, quæ in Scri-
ptura sunt pro Theologicis, quatenus
Theologica sunt, habenda, uti jam
est dictum. Non ergò valet conse-
quentia: *hoc probatur ex Scriptura,*
ergo est Theologicum. Hæc proposi-
tio: fulmina in meridie sunt vehe-
mentissima, exstat in Scriptura,
Esaie 21. v. 1. & tamen est purè Physi-
ca & physicò etiam modò in Scriptu-

C S

ra con-

ra consideratur. Vid. *Sperling. Instit. Physic. in Proem. quest. 4.*

§. 58. Nec (5) *Transitus* vocari potest, quum *Theologia, Jurisprudencia, & Medicina ex Philosophia, & in hac una Disciplina ex altera interdum aliquid probat, sine quo demonstrationem suam aliàs non tam evidenter probare posset. Quod ad Theologiam spectat, potest illa principiis Philosophicis uti, quatenus res Theologica non planè diversa est à Philosophica. v. g. Qui esurit, comedit, lacrymatur, &c. is non est phantasma, sed verus homo; Christus id facit. E. &c. Argumentum hoc contra Manichæos & Apollinariū est: Constat conclusione Theologica, & tamen principium probandi est Philosophicum. Ratio est, quòd Christus, quamvis sit Ens Theologicum, tamen reverà est Ens, cui hæc Principia, ex Philosophia petita, compe-*

competunt. Nam, quod adhuc monemus, ad veram μεταβασιν primariò pertinet, ut Objecta Disciplinarum sint planè diversa. Quando ergo materia est pura puta Theologica, & principiis philosophicis probari solet, tum sanè fit μεταβασις. v. g. Quum Calvinistæ probare volunt, Christi carnem non esse in pluribus locis simul, & principium ex Physicâ proferunt, unum corpus non posse esse simul in pluribus locis, tum committitur Transitus, quia materia de communicatione Idiomatum, per unionem personalem, in Christo, est purè Theologica, & hyperphysica. Igitur, quum principia Philosophica Theologicæ materiæ adhibentur, animadvertendum est, num materia sit solummodo Theologiæ propria, aut, an etiam sub philosophicam considerationem cadere possit. Si illud, tum Principia Philosophica exulent;

Sin hoc, tum iis uti possumus, factâ tamen accuratâ principiorum explanatione, distinctione, atqve limitatione. Conferatur *Hornejus c. 7. num. 10. de Processu*. Ex quo videmus, Philosophiam non contradicere Theologiæ. Nam omnis contradictio fiat *ᾠτιύτως*, h. e. eodem modo, ac respectu. Philosophia agit modo naturali, Theologia supernaturali. Utraque ergo in suo ambitu est vera. Vid. *Grauerus in libello de Unica Veritate*. *Scheiblerus in Tractatu Proœmiâli Logico, Sect. 7. & alii*.

§. 59. Jurisconsulto & Medico, quantum principia philosophica & aliarum Disciplinarum, sint necessaria, non opus est prolixiore demonstratione, siquidem in Jurisprudencia & Medicina multa ex Philosophiâ sunt immixta, quæ etiam philosophicis principiis probari oportet. Ita etiam in ipsa Philosophia ex una Disci-
 pli-

sciplina in aliam, eadem materia inferitur, ideo, quòd sine illa demonstratio isti scientiæ propria intelligi non possit, & quòd una Scientia ex altera aliquid supponat. Ita *Aristoteles lib. 1. Phys. cap. 2.* de Ente & uno differit, atque ex eo refutat antiquos Philosophos, qui omnia entia unum esse affirmabant: quæ doctrina tamen, uti ipse fatetur, solius *Metaphysicæ* est. Ita *lib. V. Ethic. c. 3. & 4.* de proportione Arithmetica & Geometrica agitur, quia absque illa natura *Justitiæ commutativæ*, ac *distributivæ* non intelligi potest. Hic vero nulla fit vitiosa *μετάβασις*. Conferatur *Hornejus c. 7. num. 9.* *Danbæuerus in Idea. B. D. Sect. 2. à §. 49. usq. ad 98.* Addi etiam potest *Cornelius Martini in Analyse parte 2. c. 2. 3. 4. 5. & seqq.*

§. 60. Huc usque de principiis probandi, quomodo illa comparata esse debeant, diximus. Nunc exe-

62 CAP. V. De Personis disputantibus
quemur porro, quæ disputandi for-
mam absolvant. Et quoniam in de-
finitionibus disputationis, ad formam
etiam pertinebat, ut duo adversarii si-
bi contradicerent, id propter illos
nunc considerabimus, & qui sint, &
quod eorum officium.

C A P. V.

De

*Personis disputantibus,
earumque officio in genere.*

§. I.

UNUS sibi contradicere, aut ipse se-
cum disputare nequit, nisi id ex-
ercitii gratiâ, & per accidens agat.
Sed qui disputant, sunt duo contradi-
centes, quorum alter dicitur, *Respon-*
dens alter *Opponens*. Ubi tamen bi-
narium numerum non de duobus
tantum individuis sumimus, sed & de
duabus partibus contradicentibus, in
quarum singulis plures personæ esse
possunt.

§. 2.

earumque officio in genere. 63

§. 2. *Respondens* est, qui theses suas proponit, & illas contra objectiones Opponentis rationibus defendit.

§. 3. *Opponens* est, qui theses propositas oppugnat, & objectionibus expugnare laborat.

§. 4. Hisce additur persona tertia, quæ *Præses* appellatur. Hic potissimum à Respondentis stat partibus, & eum præsidio suo contra Opponentem tuetur. Interdum tamen & Opponentem, præcipuè in disputationibus exercitii gratiâ habitis, adjuvat. In specie officium Præsidis consistit (α) in gubernando, dum, ne contra Disputationis normam peccetur, prævidet. (β) In succurrendo, dum, si deficit Respondens, ille ejus vices gerit. (γ) in augendo, dum responsioni imperfectè datæ, quæ opus sunt addit, & obscure à Respondente dicta illustrat. Videatur *Keckerm. parte 2. System. Logici plenioris c. 7. §. 9.*

§. 5. Non

§. 5. Non tamen semper Præses est necessarius & usitatus. Potissimum in Academiis & Scholis, ubi exercitationis gratiâ disputationes habentur. Quum autem studiosi juvenes, atque non exquisitè docti respondendi provinciam plerunqve sustineant, id propter superior aliquis, & eminentiore doctrinâ ornatus, illis adjungi solet.

§. 6. In seriis autem & gravioribus Disputationibus, quæ inter ipsos adversarios agitantur non semper tali Præsede est opus. Solet enim quisq; ipsius suâ scientiâ inniti. Talis Disputatio erat inter B. Lutherum, & Ecciu Pontificium Doctorem Lipsiæ habita Anno 1519. die 4. Julii horâ 7. quæ à Notariis est excepta, & reperitur *Tomo 1. Jen. Lat. fol. 242.* Similiter fit in Disputationibus, quæ non coràm, sed per scripta habentur, qualis fuit Lutheri Disputatio cum Erasmo

mo

earumque officio in genere. 65

mo de Libero Arbitrio, quæ extat Tomo 3. Jen. Lat. fol. 167. Huc pertinent illæ Disputationes, quæ hodie in multis Academiis pro loco obtinendo in aliqua Facultate habentur: ibi enim Respondens Præsidem non habet.

§. 7. Harum personarum officia sunt vel *generalia* vel *specialia*. *Generalia*, quæ & OppONENTI & Respondenti communia: *Specialia*, quæ ad quemlibet in specie pertinent.

§. 8. *Generalia* iterum sunt vel *doctrinalia*, vel *moralia*.

§. 9. *Doctrinalia*, quæ ad ipsam disputationis essentiam spectant: Suntque rursus triplicia. Alia ad ipsam disputandi *normam*, alia ad *verba*, alia ad *res ipsas* respiciunt,

§. 10. In ipsa disputandi *norma* disputantes observant (1) ut statum controversiæ rectè imbibant. (2) Argumenta syllogisticè, distinctè & in bona forma tractent, de quo supra monuimus

66 CAP. V. De Personis disputantibus,
nuimus. (3) Sophismatibus abstinere
ant. (4) Caveant, ne stratagematibus
à scopo suo abducantur.

§. II. In *verbis* animadvertant ista:
(1) Sint *breves*. Ob id enim Logica
cum parca & contracta manu; Rhe-
torica verò cum prodiga & aperta so-
let ab *Owenò* comparari *lib. 2. Epigr.*

58.

Rhetorica studiosus ego sum, prodigus inquit:

Parcus ait: Logica sum studiosus ego.

Semper clausa manus Logicam designat avari:

Prodiga Rhetoricam semper aperta manus.

Ridiculum enim esset, si diceret di-
sputans: Summus ille Philosophorū
Coryphæus validissimis probationum
fulcimentis id corroborat, pro eo,
quod brevius diceret; Aristoteles hoc
probat. (2) *Barbaris & obsoletis vocibus*,
si minus necessariae sunt, & alie
usitate suppetunt, abhorrendum. Ita
obsoletè & vitiosè dicis: perbitare,
mis &c. pro, perire, mei: Barbarè di-
cis: æquivocaliter, probativè, respon-
satio,

earumque officio in genere. 67

ratio, dubietas. pro, æquivocè, proba-
biliter, responsio, dubium &c. Dixi,
si non necessariae sint, & usitatae suffi-
ciant. Alias barbaras voces licet di-
spulatori usurpare, quum desunt ge-
nuinae, & evidentia ac necessitas rei
id poscit. Sic rectè ajo: Entitatem,
homineitatem, fornaceitatem, pri-
mitatem &c. quia nullum vocabulum
aliàs sufficit, quò meliùs & clariùs
formæ & abstracta rerum exprimantur.
Quâ ratione etiam Cicero vo-
ces *Quantitatem* & *Qualitatem* in-
trodixit, ubi antea dixerunt *Quan-
tum* & *Qvale*, ut Abstractum & Con-
cretum accuratiùs distingveret. Un-
de regula Philosophorum: *Philoso-
pho licet ἀνομασίου*, id est, nomina
fingere. Ubi sub Philosopho alias
etiam Scientias & Facultates intelli-
gito. Conferri potest prætereà *Hor-
nejus cap. ultimo de Processu. num. 4.*
(3) *Stylò usitatò loquendum.* Non
igitur

68 CAP. V. De Personis disputantibus,
igitur singulares phraſes, nec peculia-
ria diſtinctionum vocabula immi-
ſcenda; ſed quæ ſunt authentica, &
apud omnes uſu recepta. Imò sæ-
piſſimè oratio, quamvis minùs ſit ac-
curata, uſu tamen trita, in diſputatio-
nibus prævaleat. Quò respicit illud
vulgare: *Loquendum cum vulgo, ſen-
tiendum cum eruditis.* (4) *Perſpicuita-
tem ſectentur*; quod ſit, quando pro-
prietatis vocum ſunt memores, neq;
nimium tropis, niſi jam notiſſimis
delectantur. Conferatur *Dankhaue-
rus in Idea Boni Interpr. part. 1. ſect.
3. §. 51. ſeqq.* (5) Si fortè & peregrina
& obſcura loquendi ratio in medium
proferatur, non ſit dedecori, ab ejus
autore exquirere veram explicatio-
nem: Id enim præſtat, quàm diſpu-
tare de non intellectis (6) Si alter hal-
lucinetur in verbis, ſed tamen præter
voluntatem, & dum ſtudioſè eſt at-
tentus ad res ipſas, alter illud non
argutè

earumque officio in genere. 69

argutè rimetur ; potiùs id cogitet :
Intellectis rebus, in verbis simus fa-
ciles. Quò sanè vitabuntur *λογο-
μαχία* seu inanes & frivola verborum
contentiones ; ad quas dum de-
flectimus, à principali scopo aberramus.
(7) Quòd si aliquis disputans
durum admodum sermonis genus, &
εικυρηλογία in loqvendi impetu im-
miscet, ab aliis autem ejus commo-
neatur, nequaquam arrogans sit, nec
erubescat illam duritiem aliis verbis
mitigare. Sic enim fit, ut multa ab-
surda, & impia quandoque evitentur.
Hoc si perpendisset Matthias Flacius,
qui in Disputatione cum Victorino
Strigelio, Synergistâ, ex vehementi
fervore peccatum originale vocave-
rat ipsam hominis substantiam, ean-
dem duram locutionem non defen-
disset, nec grande schisma, quin hæ-
resin potius in Ecclesiâ concitasset ;
de

70 CAP. V. De Personis disputantibus,
de quò vide apud *Lucam Osiandrum*,
Centuriâ. 16. Hist. Eccl. lib. 3. c. 74.

§. 12. In *ipsis rebus* Disputantes
soliciti sint, (1) ut in principiis rectè
& legitimè conveniant: ex incertis
enim, & non concessis principiis di-
sputari non potest, v. g. Si cum Judæo
Christianus disputaret, & ex Novo
Testamento principia probandi af-
ferret, absurdum esset, ideò, quòd Ju-
dæus Novum Testamentum non a-
gnoscat verum principium: igitur
agendum cum ipso est ex Veteri Te-
stamento. (2) Ut Apodictica princi-
pia à Topicis distingvant. Apodi-
cticis utantur in materia necessaria:
Topicis in probabili & contingente.
(3) In demonstrationibus principia
propria, non autem communia & ex-
tranea sunt adhibenda. (4) In Topi-
cis argumentationibus, principia ob
communitatem suam, pro Discipli-
næ aut Scientiæ conditione sunt li-
mitan-

earumque officio in genere. 77

mitanda, & genuino modo applicanda. (5) Magis rationibus, quam auctoritate disputandum. Hic enim valet illud sermone tritum: *amicus Plato, amicus Aristoteles, magis tamen amica veritas.* Unde Cicero lib. 1. de Nat. Deorum ita: *Obest plerumque iis, qui se docere profitentur; desinunt enim suum iudicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident.* Ubi vero distinguendum inter Scientias & earum objecta. In Medicina & Philosophia rationes prevalere debent. In Theologia autem, Jurisprudentia & Historia testimonium & auctoritas prerogativam tenent. In Theologia quidem testimonium Divinum seu Scriptura Sacra, cujus tanta est certitudo, ut maxime & certissime demonstrationem pariat, imò omnem *ἄποδειξις* superet: Videatur *Sperlingius Institut. Physic. Proem. Quest. 4.*
Scrio

72 CAP. V. De Personis disputantibus,
Scripturæ annectimus Sanctorum Pa-
trum & Ecclesiæ scripta ac testimo-
nia, quatenus nempe cum Scripturâ
sunt conformia. In Jurisprudencia,
Lex esto principium probandi, quæ
partim Divinô, partim humanô niti-
tur testimonio. In Historia itidem.
Sed tamen nec in Philosophica &
Medica Disputatione omnis autori-
tas sit frustranea, quando nimirum
illa ipsa autoritas rationibus est sta-
bilita, v. g. Licet ex Aristotele & ali-
is probatis Autoribus aliquid alle-
gare; modò rationibus illud confir-
metur, quas vel ipsi Autores addi-
derunt, vel disputans suô studiô ex-
cogitavit, ad illos defendendos. Id
propter non statim dicendum: *Quid
mibi cum Aristotelis aliorumve auto-
ritate?* Sed monendum, ut autoritas
rationibus defendatur. (6) Hypo-
theses suas non negent, sed quas se-
mel statuerunt, iisdem inhæreant.

Pec-

Peccant ergo Pontificii qui Scripturam Sacram, ex quâ hypotheses suas primum eruerunt, deinde, ubi ex illâ victi sunt, rejiciunt, & pro verô principiô non habent; sed ad Ecclesiæ suæ consensum, traditionesque humanas confugiunt. (7) Quod in primô numerô hujus Paragraphi diximus, nimirum in principiis prius esse conveniendum, quàm disputetur, eidem hîc aliquid addendum duximus. Est enim Disputatio duplex; alia *ad rem*; alia *ad personam*. Quæ est *ad rem*, in illa disputatur ex verô Principiô, & quod revera tale est, licet ab adversariô non pro tali habeatur. Ita Theologi disputant ex Sacrà Scripturâ in vero suo sensu explicatâ, utpote ex vero ac genuino Principio; quamvis hæretici illam parvipendant. Ita Aristotelici Philosophi ex hoc Principiô Physicô, quatuor videlicet esse elementa, ignem, aërem, terram, &

D

aquam

74 CAP. V. De Personis disputantibus,
aquam, disputant; etsi multi illud
rejiciunt, & tria elementa, longeque
alia statuunt; de quo videatur *Regius*
lib. 2. c. 2. Philosophiæ Naturalis. Di-
sputatio *ad personam* est, quâ dispu-
tatur ex hypothésibus & Principiis,
ab adversariò tantummodo concessis,
quanquam sunt falsissima. Tale dis-
putandi genus sæpè contingit, & non
minorem laudem comparat; siqui-
dem majorem laudem is meretur, qui
hostem propriò ejus gladiò devincit,
quam qui suo. Hoc disputandi mo-
do Salvator ipse non semel utebatur
adversum eos, qui ex Lege sibi salu-
tem quærebant. Hi enim, quum E-
vangelium pro Principio verò non
habuerint, assumpsit Christus Legem,
ipsorummet Principium, atque ex
hoc Legales istos convicit: confer
Matth. 19. v. 17. Lucae 10. v. 25. seqq.
&c. Sic *Paulus* quoque ex Cretensi-
um Principiò adversum eosdem di-
sputat,

earumque officio in genere. 75

sputat, illosque confundit, *ad Tit. 1. v. 12.* Eodem modo *Petrus Galatinus* ex veterum Rabinorum scriptis recentiores Judæos ut plurimum refellit, in libro, quem vocat, *Arcana Catholicae veritatis.* Quomodo etiam S. Patres Ethnicorum fabulas, ab illis vera principia aestimatas, tanquam talia assumerunt, & ex illis, contradicentes refutarunt. Exemplum vide apud *Danbauerum in Idea Bonæ Disput. Sect. 1. §. 22.* Unde illud huc transcribimus: *Theophilus sextus à Div. Petró Antiochenus Episcopus, lib. 2. ad Autolycum,* gentiles resurrectionem negantes, ex proprio eorum principio refellit, dum objicit illis, quòd *Herculem igne absumptum, redivivum tamen, & inter deos relatam credant.* Sic Disputatio ad personam est, quando nos cum Pontificiis ex eorum traditionibus & Patrum scriptis (quæ tamen Principia, relietâ

D 2

Scri-

76 CAP. V. De Personis disputantibus,
Scripturâ, falsa sunt) disputamus, &
ex iisdem quàm sapissimè illos vinci-
mus.

§. 13. *Moralia officia*, quæ tam
Opponens, quàm Respondens se-
quuntur, sunt, quæ ex virtutibus mo-
ralibus desumuntur, & in disputando
adhibentur.

§. 14. Debet sanè Disputator *uni-
versam virtutum seriem* mente dili-
gentiùs percurrere, & juxta illam, di-
sputandi provinciam suscipere. (1.)
Agmen ducat *Pietas*; sine quâ nihil
agimus feliciter. Ergo *Divi Au-
gustini* sententiam audi, dicentis: *Di-
sputandi acumen Dei donum est; sed
si inde Deo ipsi non sacrifices, non ad
usum, sed ad perniciem magis valet,*
lib. 4. de confessione c. 16. Ita autem
Deo sacrificas aliquid de Disputatio-
ne, quum precibus devotis sapienti-
am à Deo ad Disputationem petis:
item, quum ante omnia Dei hono-
rem

rem, & proximi salutem quæris, (2.)
 Disputantes erecto, atque forti sint animo: timor enim ubi mentes occupat, tum disputator confunditur, & prorsus identidem obmutescit. Nec tamen nimis sit audaculus, ut, licet tenui supellectile sit instructus, tamen ad disputandi locum accedat. (3.)
 Sobrii sint ac temperantes: plenus namque venter, hebes, ineptumque reddit iudicium. Perversa ergo, ac ridicula eorum ratio est, qui poculis animositatem ad disputandum sibi indere volunt. Ubi tamen necessarium alimentum, ac modicum, non prohibetur. (4.) Sint modesti; ne vel propriam auctoritatem admodum ostentent, vel aliorum nimium extenuent. Quamobrem fugiendi sunt arguti, immodesti, ac superbi sermones, quales sunt: *Nihili est tua ratio, nulla, frigida, jejuna, &c. Qui tuam sententiam approbant, cœcutiant in*

78 CAP. V. De Personis Disputantibus,
meridie &c. Fugiendæ etiam sunt ir-
risiones, subannationes, & omnes
adeò ironici gestus. Huc pertinet,
ne loqvacitate nostrâ adversarii ser-
mones interpellemus, sed loqvendi
ipsis demus spatium; deinde nostra
responfa reddamus: quò fiet, ut
quisqve alterius concepta atqve sen-
sus rectiùs intelligat. Multò minùs
disputantes simul, & conjunctis vo-
cibus, instar anserum, aut ciconia-
rum blaterabunt; sic enim fit, ut
finitis sermonibus, neuter alterius
sensa animi sit assecutus. (5) *Mansve-
ti atqve placidi*; ne, si forsan ab ad-
versario acriùs urgentur, iracundiæ
in animum invadere permittant; ali-
às certè altercationes, rixæ, & con-
vitia oriuntur, quibus res ipsæ, de
quibus disputatur, atqve veritas, cu-
jus gratiâ disputatio est prorsus la-
tent, & obnubilantur. Placet hîc
elegantissima Hornei verba citare,
quæ

quæ ita : *Certè veritas non affectuum, sed rationis filia est, c. 10. de Processu num 1. Et paulò post num 2. inquit: irasci adversario, aut OppONENTI, & auctoritatem interponere, non est argumenta solvere, aut falsitatem eorum detegere, & omnibus ostendere; sed inscitie tantùm, aut male cause velum quærere. (6.) Veritati & candori studeant; id quod tribus potissimùm fiat modis, (α) ut Finis disputationis, nempe Veritatis, sint memores. Hinc sophismata, ac dolosa stratagemata, omnemque fallendi animum deponant. (β) nec adversario suo aliquid affingant, (γ) nec tandem ἐν ἀγασπέσει, & studiò, falsa allegent. (7.) Comitatem in disputationis actum secum afferant; sic enim verborum ac gestuùm humanitate, totius auditorii benevolentiam sibi devincturi sunt, & adversarium etiam ad humanitatem commoturi: ubi con-*

80 CAP. VI. De Opponente,
trà, si morosos ac importunos sese
gesserint, nil nisi odium in se deriva-
bunt.

CAP. VI.

De

Opponente, & ejus officio
in specie.

§. 1.

Absolutis officiis disputantium ge-
neralibus, properamus nunc ad
specialia: & primò quidem ad officia
Opponentis.

§. 2. Hujus officium est vel *prima-
rium*, vel *secundarium*.

§. 3. *Primarium*, quod necessariò
ad disputationem pertinet, & caret
omni fraude.

§. 4. Ante omnia Opponens the-
ses Respondentis accuratè inspiciat,
illisque rectè contradicat: aliàs ri-
dicula erit objectio.

§. 5.

§. 5. Objectiones syllogisticè proferat, & quidem maximè in primâ Figurâ, quum hæc sit perfectissima, & naturâ notissima. Non tamen prohibentur cæteræ Figuræ, quibus etiam si necessitas cogat, utendum. vid. *Stengel. de Bono & Mal. Syllog. part. 1. §. 35. & 36.*

§. 6. Imprimis caveat Opponens indirectos modos primæ Figuræ, quum nihil ad farinam, & philantia, fallacisqve animi sint indicium.

§. 7. Sic etiam à Modalibus Syllogismis, quantum fieri potest, desistat: item ab Enthymematibus, de quo vide *Danhauerum in Idea B. Disput. Sect. 1. §. 9.*

§. 8. Objectiones diligentius præmeditetur, & quid à Respondente afferri possit, & quomodo huic rursus obviam sit iturus, diu multumqve consideret. Hinc objurgandus ille ignaviæ mos, quum objectionum far-

rago ex aliis auctoribus transcribitur, quæ deinde studiosius nequeunt urgeri.

§. 9. Syllogismos ad paucissima verba redigat; sic enim Respondens facilius res intelliget, celeriusque responsionem excogitabit. Quin ipse Opponens hoc modo laborem sibi imminuet.

§. 10. Objectiones pauciores formet, illasque constanter urgeat, nec datâ unicâ responsione quiescat, nec novas, easque multas proferat. De hoc monitum Keckermanni observandum est, qui inquit: *Multi quando publicè disputare volunt, aut privatim, in eò potissimum laborant, ut quàm plurimas objectiones excogitent, atque ita sæpè iterent illud: Propono aliud argumentum. Sed ego istam consuetudinem non per omnia probo, nisi fortasse fiat à tyrone, & qui nunquam in disputandò sese exercuit: talibus enim*

enim multa sunt condonanda, quum
disputatio sit actio ardua, quæ eget
ingenii magnâ exercitatione, & lingvæ
singulari promptitudine, in Systemate
Logicæ plenioris, part. 2. c. 7. Can. 8.
num. II. Et Danhauerus ait: *Nimis
frigida, & servilis illa disputandi ra-
tio est, quæ Opponentem non permittit
urgere, & excipere ad datam respon-
sionem. Quare si à Respondente ei
non sit satisfactum, instabit vel limi-
tandô propositionem, quam Respon-
dens infringere per instantiam cona-
tus est: vel ostendendo, distinctionem
ineptam esse atque facere ἰδὲν τοῦ ἐξ
ἐπὶ* G. In Idea B. Disput. sect. I. §. 38.

§. II. Dum verò urget, & instat
Opponens, non Stentoreô clamore
tautologias vitiosas committat, nec
eâdem semper oberret chordâ; hoc
est, illud, ad quod Respondens jam
jam sufficienter respondit, non iteret,

D 6

vel

vel iisdem, vel aliis verbis: id enim inscitiae, & imprudentiae eum coarguit.

§. 12. Ita autem instabit, ut videat, an responsio vel *ad Formam*, vel *ad Materiam* sit data.

§. 13. Si *ad Formam*, petat Opponens à Respondente, ut Formae vitium monstret; hoc enim oportet Respondentem probare. Si verò monstrat, corrigendus Opponenti Syllogismus. Planè enim si omittat (quod quidam volunt) Logicae ignarus aestimatur. Sin falsò Syllogismum vitii accusat Respondens, & ejus probatio est nulla, tunc Opponens Respondentem modestè in viam rectam ducat, & de rebus nunc sollicitum esse jubeat.

§. 14. Si *ad materiam* respondeatur, attendat Opponens, an Responsio sit vel per *Negationem*, vel per *Distinctionem* seu *Limitationem* vel per *Conces-*

Concessionem, vel per *Instantiam* data. Tot enim ferè respondendi sunt modi, uti infrà dicitur cap. 7. §. 11. seqq.

§. 15. Si Respondens alterutram Præmissarum *negat*, tum Opponens illam probet principiò conveniente.

§. 16. Hic quæri solet, *an affirmanti incumbat probatio, nunquam autem neganti?* Respondendum breviter: per *affirmantem* hòc locò intelligi in genere omnem contradicentem, seu Opponentem; sive neget, sive affirmet. Huic semper incumbit, suam sententiam probare. Si verò *affirmans* strictè sumitur, tum falsum est, quum etiam neganti hâc ratione probatio incumbat. De quò prolixius videatur *Danhauerus in Ideâ Disput. Sect. 1. §. 37.*

§. 17. Si respondens *distingvit*, & inde *limitat* Præmissam, videre debet Opponens, num distinctio, & hinc nata limitatio quadret. Si quadrat, ipsi quiescendum; sin minus, instet amplius, & quod suæ sententiæ probandæ infervit, ulterius urgeat. Quod ipsius rei, & Scientiæ natura, ad quam disputatio pertinet, unicè docebit.

§. 18. Si Respondens *concedit totum Argumentum*, observet Opponens, an rectè contradixerit Respondentis thesi. Si ita fecit, tum poterit instare, & Respondentem accusare, quod ipse sibi contradicat. Sin verò Opponens deprehendit, se minus rectè contradixisse, tum contradictionem meliùs informet.

§. 19. Si utraqve Præmissa à Respondente est concessa, & is tamen conclusionem negabit, statim argumentetur Opponens, si Præmissæ concessæ sint, necessariò etiam esse
con-

concedendam conclusionem : nam in bonâ Formâ ex veris Præmissis nunquam sequitur falsa conclusio.

§. 20. Si per *Instantiam* respondetur, observabit Opponens, an Instantia sit legitima, hoc est, an Major sua universalis à Respondente per particularem contradicentem rectè sit eversa. Si hoc non sit factum, ostendat ei Opponens, quomodo Propositio ejus particulatis sub suâ universalis comprehendi non possit. Hic culpandi sunt illi Opponentes, qui Respondentis Instantiam sic illud posse autumant, quum dicunt: *Est diversa ratio inter res comparatas.* Nam Instantia fundamentum suum habet non in ipsarum rerum similitudine, aut dissimilitudine; sed in formali Propositionum integrarum convenientiâ & consequentiâ, v. g. Opponat aliquis:

Quic-

*Quicquid movetur, illud habet animam,
Atque, Homo movetur, E.
Homo habet animam.*

Respondens sic per Instantiam re-
spondebit, & majorem universalem
negabit:

*Quicquid movetur, illud habet animam
Atque, Flumina moventur. E.
Flumina habent animam.*

Si hinc Opponens excipere vellet, esse
diversitatem inter hominem & flumi-
na, absurdum diceret; nam hoc non
est in quaestione. Vel opponat
aliquis:

*Quodcumque animal edit, illud habet dentes,
Atque, Bos edit, E.
Bos habet dentes.*

Hanc Majorem Respondens per In-
stantiam ita evertet:

*Quodcumque animal edit, illud habet dentes,
Atque, avis edit, E.
Avis habet dentes.*

SI

Si hîc exciperet Opponens, esse diver-
sam rationem inter bovem & avem,
nihili esset exceptio; siquidem hoc
non quæritur; sed sequitur illud: ex
unâ, & eâdem Propositione univer-
sali, ex qua tota consequentia depen-
det, effici quoque istas conclusiones:
Flumina habent animam; Avis habet
dentes; quæ tamen falsæ. Confer
copiosius de hâc re agentes *Hornejum*
cap. 8. num. 5. seqq. & *Danhauerum,*
in Disput. Id. Sect. 1. §. 38.

§. 21. Opponens non gravetur,
argumenta sua, si Respondens petierit,
repetere: consideranda enim est me-
moriam infidelitas, aut aurium impe-
dimentum, aut similia.

§. 22. *Officium Secundarium,*
Opponentis est, quod non necessariò
ad Disputationem pertinet, & in
fraude, ac stratagematibus consistit,
quibus Respondentem decipiat.

§. 23.

§. 23. Ejusmodi stratagemata un^o decim colligit *Doctissimus Danhae-
rus Id. B. D. Sect. 1 §. 39. & 40.* ex quō
brevissimè ea hic contrahemus; quib-
us nos duodecimum, & quomodo
hæc stratagemata averti possint su-
mus addituri.

â. 24. Primum est; *ex illis princi-
piis pugnare quæ Respondenti sunt
ignota*, v. g. Si Respondens rudis est
Philosophiæ, poterit Opponens ex il-
lâ argumentari, sive Theologica, sive
Juridica, sive alia sit Disputatio. Item
si Respondens ignarus sit lingvarum,
illas in Disputationem afferet Oppo-
nens. *Medium, quod contra hoc stra-
tagema Respondens invenire potest*, erit
ferè nullum, nisi ut instructus sit illa-
rum rerum scientiâ, quæ ad præsen-
tem Disputationem sunt necessariae.
Si tamen aliquid, quod non ad rhom-
bum est, ab Opponente fallendi gra-
tiâ affertur, providus sit Respondens,
&

& Opponentem ad rei præsentis translationem revocet.

§. 25. Alterum : *Conclusionem crypticè celare sub aliâ*, v. g. Si Pontificii probant hanc Conclusionem : Latinam Linguam præ cæteris excellere ; & sub illâ occultant hanc sequentem : Ergò Lingva Latina pro authenticâ est habenda in Bibliis. *Hanc crypsin facile odorari potest Respondens*, si thesis scopum, contra quam opponitur, accuratiùs considerat. Tum enim prioris conclusionis Præmissas statim limitabit, ne posterior, & occulta conclusio in eâ fundamentum ponat.

§. 26. Tertium : *Onus probandi transferre in Respondentem*. Hoc fit, quum astutè petit à Respondente Instantiam ; quam si dat, etiam probationem addere cogitur. Aut quum Respondentem adigit, ut suam negationem probet. Ad hoc Stratagemata ipsi

92 CAP. VI. De Opponente,
īpsi Respondentes sæpè ansam præ-
bent, dum disputationes suas proli-
xiùs amplificanc, & thesibus suis
longiores probationes annectunt.
Tum enim Opponenti licebit proba-
tiones illas examinare.

§. 27. Hinc oritur quartum Stra-
tagema: *probationes infirmiores Re-
spondentis adoriri, & ad probandas
illas eum ulterius adigere.* Contra
hæc duo Stratagemata Respondens
ita se munit: quamvis Opponens di-
cat, assertionem suam tam diu esse
veram, donec probetur contrarium:
Respondens tamen non incautus sit,
nec dicat: ego probo contrarium, ne-
que multas admodum probationes
thesibus suis addat.

§. 28. Quintum: *Responsionem
datam mutilatè assumere, aut in alio
sensu, quàm Respondens voluit; sta-
timque argumentum construere, ut
Respondentem confundat.* *Huius
stra-*

stratagemati resistat Respondens accuratâ suâ attentione, & OppONENTI integram Responſionem denuò in aures infurret, & quò sensu illam dederit, mentem suam explicet.

§. 29. Sextum : *ad iram Respondentem concitare crebris illusionibus, & interpellationibus. Hic Respondens temperet suis affectibus, & antagoniſtam amicè moneat, ut agat humaniùs. In testes vocet auditores, se non argumentis legitimis, sed irrisionibus, & vehementiâ interpellationum ab OppONENTE ad silentium esse coactum.*

§. 30. Septimum : *Multis quæſtionibus obruere Respondentem, & perturbare ejus conceptus; sicque à statu controversiæ ac theſi abducere. Hic Respondens observet istud: Festina lentè; nec agat præcipitanter; sed singulas quæſtiones OppONENTIS repetat, & unicuique sigillatim suam*
ratio-

rationem applicet. Sin quæstiones nihil pertinent ad theses, tum poterit hoc Opponenti placidè ostendere.

§ 31. Octavum: *Omniū Sapientum testimonia allegare*, quò, tanquam fulmine, Respondenti sapissimè metus incutitur. Respondens è contrario pro se allegabit Sapientes. Si verò Sapientum auctoritas ipsi non satisficit, dicat modestè, se ab auctoritate discedere, quia rationes adsint, Sapientum auctoritati repugnantes.

§. 32. Nonum: *Imperfectis & difficilius argumentis uti*, ut sunt Enthymemata, Syllogismi Hypothetici, Dilemmata, Modales, & hujusmodi. Hic Respondens diligenter præcepta Logica callebit, ex quibus harum argumentationum naturam exquisitè cognoscat, aut eas in aliam ac faciliorem formam commutet.

§. 33. Decimum : *Distinctionem à Respondente datam, pro nullâ aut vitiosâ habere, & eam contra leges bonæ divisionis factam demonstrare. Hic Respondens cautus sit in faciendis distinctionibus, & sic doctrinâ de divisione innixus, suam distinctionem haut difficulter probabit.*

§. 34. Undecimum : *Assumere Respondentis propositionem, & contra eam illâ uti. Respondens hic valdè esto providus, & suæ datæ responsionis memor : illamque sanò sensu explicet.*

§. 35. Nos adjungimus duodecimum : *Respondentem fallaciis tam in dictione, quàm extra dictionem circumvenire. Hic Respondentis anti-stratagema esto, ut hisce fallaciis usitatas, & in Logica præscriptas responsiones opponat.*

§. 36. Hæc verò stratagemata
 pro ipso Opponentis iudicio sunt
 adhibenda. Quædam enim magis,
 quædam autem minùs, quædam
 nullo modo, fraudis & cavillationis
 ipsum suspicione liberant. Discrimen
 etiam faciendum inter
 personas, cum quibus
 disputat, & in
 quò locò.



CAPUT

De

*Respondente, & ejus Offi-
ciò in specie.*

§. I.

Respondentis officia similiter sunt
vel *Primaria*, vel *Secundaria*, si-
cut *Opponentis*, & *Definitionem*
similem habent. De *Primariis* jam
sequitur.

§. 2. Primò, Respondens argu-
menta *Opponentis* diligenter atten-
dat, deinde prolata repetat, quod
vocatur vulgò, *Assumere*. *Causas*
hujus tres recenset *Kekermannus loc.*
cit. (1) Ne *Opponens*, si animad-
vertit, argumenta facile posse solvi,
erubescat, & protestetur, se non pro-
tulisse. (2) Ut *auditores* melius ar-
gumentum assequantur. (3) Ut ipse
Respondens rectius capiat, & mo-
ram

E.

ram

ram aliquam, ad excogitandam Responſionem, habeat. Agat iſtud ſine tergiverſatione, ut ne addat aliquid, nec omittat præter opponen- tis voluntatem. Si tamen Oppo- nens argumentum prolixius pro- ulit, Respondens illud in brevius (ma- nente adverſarii ſenſu) coarctabit. Nec opus eſt, (præcipuè, ſi memo- ria renuit,) ut iisdem ſemper ver- bis, eâdemque constructione inha- reamus; dummodo non fiat in Op- ponentis fraudem.

§. 3. Neque indecorum eſto, ſi Respondens ob memoriæ in- becilli- tatem, ab Opponente argumenti re- petitionem petat, & iſtud calamô excipiat: ſic enim promptius re- ſponſionem eſt excogitaturus. Id quod vel in Academiis, & aliis ſeriis diſputationibus eſt conſeſſum.

§. 4.

§. 4. Assumptò argumentò, nec præceps nimium, nec tardus adeò in respondendò videatur; sed mediâ incedat viâ: etenim, *sat citò, si sat benè.*

§. 5. Primùm *de Formâ* sit sollicitus. Si videat, argumentum laborare vitio formali, ostendat illud Opponentis. Quod verò ex Logica studiosè est discendum; neque pergat ad materiam, nisi formalis consequentia legitimè dirigatur; Id enim ridiculum, & absurdum. Confer, *quæ supra diximus, cap. 4. §. 11. seqq.*

§. 6. Tum ad *Materiam* se conferat, & ante omnia Opponentis Conclusionem observet, an contradicat suæ thesi.

§. 7. Si Objectio non ferit thesin, monstret, ignorantiam Elenchi ab Opponente esse commissam; namque esse Oppositionem.

§. 8. Sin Opponentis contradi-
ctio rectè contradixerit thesi, con-
sideret Respondens præmissas, (ad
Conclusionem enim respondere, esset
absurdum, quum error semper sit
in alterutrâ Præmissarum,) quomo-
do Medius Terminus in illis cohæ-
reat cum extremis cæteris. Quam-
ergò falsam deprehendit, illius pro-
bationem ab Opponente petat, hanc
enim dare is tenetur, *vid. suprâ cap.*
6. §. 16.

§. 9. Hic non prodat ignoran-
tiam suam Respondens; quod fit,
quum istius Propositionis probatio-
nem pascit, quæ tamen probatio-
ne non indiget, v. g. argumentetur
aliquis:

*Quodcundq; homines ad desperationem adigit,
illius causa non est Deus.*

*Atq; ubi absolutum Electionis decretum homi-
nes ad desperationem adigit. E.*

*Absoluti Electionis decreti causa non
est Deus.*

Im

Respondente, & ejus Officiò in specie. 151
In hoc argumento (quod contra Calvinianos est,) Respondens non petat probationem Majoris, siquidem illa est clarissima, nec opus habet probatione. Verùm Minor est probanda, utpote quæ absurdior, & magis ambigua videtur, cujus probationem à nobis exigunt Calvinistæ.

S. 10. Post datam probationem, Respondens suam responsionem reddat. Ubi notari potest, quod Respondens interdum non petat probationem Præmissarum; sed statim responsionem edat, & applicet illi Præmissæ, quam pro suspectâ & falsâ habet: idque majoris scientiæ, ac eruditionis est indicium. Qui verò non tam expediti & perfecti sunt, illi tutissimâ viâ ambulabunt, si probationem postulaverint.

S. 11. Cæterùm tres sunt respondendi modi. Respondemus enim vel per Negationem, vel per Distin-

Etionem, seu Limitationem, vel per Instantiam. Quamquam Danhae-
rus duos tantum modos, nimirum
Distinctionem & Negationem pro-
ponit, (ideò fortè, quod Instanti-
am ad Negationem referat) *in Idea*
Disput. Sect. 1. §. 41. Nos tamen ter-
narium numerum retinemus, quum
instantiæ ratio plus quam nudam ne-
gationem comprehendat: & quum
aliis etiam Doctissimis Viris hic tri-
plex respondendi modus perplaceat;
imò vel quadruplex.

§. 12. *Negatione seu inficiatio-
ne* responderetur, quum Præmissa fal-
sa simpliciter negatur, additâ ta-
men ratione.

§. 13, *Dicimus, additâ ratione.*
Nam etsi Respondenti non incum-
bit onus probandi; hoc tamen ita
intelligendum est, quòd Respon-
dens non obstrictus sit, theses suas
propriam probare, seu rationes illis
addere.

Respondente, & ejus Officiò in specie. 103
addere. Interim tamen tenetur,
responsionis suæ (sive Negatio sit,
sive instantia, sive Limitatio,) quam
ad probationem allatam Opponen-
tis dedit, rationes adjicere. Nisi
itaq; (inquit Hornejus cap. 8. num.
1. de Processu,) Respondens negat,
quod evidenter falsum est, aut distin-
ctionem affert itidem evidentem,
subterfugere non potest, quin cau-
sam dicat, quare id neget, aut di-
stingat.

§. 14. Instantiâ respondetur,
quum Propositioni opponitur Pro-
positio contraria: Arist. lib. 2. Prior.
Anal. c. 18. h. e. (explicante Horn.
cap. 8. num. 3.) quum una Propo-
sitiō, eaq; manifesta, alteri oppo-
nitur & per eam altera infrin-
gitur.

§. 15. Vera igitur Instantia ha-
bet duo requisita. (1) Sit contraria,

E 4 id est,

id est, sive contrariè, sive contradictoriè opposita. (2) Sit *manifesta, & notissima*; aliàs si ipsa etiam Instantia indiget operosâ probatione, potiùs contrâ disputare est, quàm instare; quod etiam Aristotelis est iudicium. Vid. *Horn. loc. alleg.*

§. 16. Præcipuè tamen Instantia consistit in oppositione contradictoriâ, & quidem, quum Universali opponitur Particularis. *Universali instatur: Particularis instat.* Ita autem Respondens debet instare: Majorem opponentis, quæ universalis est, retineat. In Minore suâ ponat aliquod subjectum, quod sub Subjecto Majoris continetur, sed cui tamen Prædicatum Majoris non convenit: unde fiet, ut conclusio manifestè absurda producat. v. g. *Opponata aliquis ita:*

Qui-

Respondente, & ejus officiò in specie 105
*Quicumq; fidem historicam habet de Christo,
ille Salvatur,*

*Hic, vel iste (Petrus) habet fidem histori-
cam de Christo. E.*

Hic, vel iste, (Petrus) salvatur.

Quamvis in hoc argumento Respon-
dens Majorem Propositionem sta-
tim simpliciter negare possit: Si ta-
men Instantiã respondere velit, potest
hoc modo agere:

*Quicumq; fidem historicã de Christo (secundum
tuam sententiam) habet, ille salvatur.*

*Diabolus fidem historicam de Christo
habet. E.*

Diabolus salvatur.

Hæc Conclusio manifestam absurditatem OppONENTI ostendit, quod inde est, quia OppONENTIS Majori Universalis falsò affirmanti Respondens opposuit particularem negantem, nimirum, *Diabolum qui fidem historicam de Christo habet, non salvatur.*

E S

§. 17.

§. 17. Fundamentum Instantiæ est, non similitudo aut dissimilitudo ipsarum rerum, sed formalis consequentia ac dependentia Propositionum. Confer, quæ suprâ diximus cap. 6. §. 20.

§. 18. Distinctione respondetur, quum Præmissa aliqua secundum quid, & certo respectu habetur pro vera, licet aliò respectu sit falsa.

§. 19. Si distinctio bona, & conveniens est facta, tum applicet Respondens eam ad Opponentis argumentum. Ubi incipit vocari *Limitatio*. V. G. opponat aliquis:

*Nullum corpus compositum est simplex,
Elementum est corpus compositum. E.
Elementum non est simplex.*

§. 20. Hoc autem notatu necessarium, ut *Limitatio* semper in *Majore* propositione adhibeatur, nunquam enim limitari potest Minor, nisi *Major* antè sit limitata; & qui *Terminus*
in

Respondente, & ejus Officiò in specie. 107
*in Majore est limitatus, idem, nec
alius, in Minore erit limitandus, vid.
Danbauerus Sect. 2. §. 87. seqq.*

§. 21. Limitatâ igitur Majore, Re-
spondens vel Minorem neget, vel
totum argumentum concedat, prout
ratio & iudicium docebit. v. g. In su-
periori exemplô Majore sic limitatâ,
Minor est neganda. Aliud esto exem-
plum: *O. corpus naturale certô locô cir-
cumscribitur, Christus habet corpus na-
turale E. certô locô circumscribitur.*
Hæc distinctio adhibeatur, inter cor-
pus naturale, quatenus naturale est, &
inter corpus naturale unitû cum Divi-
nâ naturâ, & glorificatum. Hâc distin-
ctione Major ita limitetur. *O. corpus
naturale (quatenus naturale est,) cer-
tô locô circumscribitur. Atqui Christus
habet corpus naturale, (quatenus natu-
rale est,) E. &c.* Hæc Minor nega-
tur; siquidem Christi corpus, per
unionem personalem cum Divinita-

te unitū est, & nunc post Adscensionem glorificatum. Tale autem corpus potest esse simul in pluribus locis, atque adeo omnipræsens.

§. 22. Hujusmodi Distinctiones debent esse (1.) *Perspicuae*, quæ in veritatis indagazione, & ad ea, quæ obscura sunt, eruenda adhibentur. (2.) *Legitime*, quæ non pugnant cum legibus bonæ divisionis, de quo in Logica præcepta suppeditantur. (3.) *Probationibus munitis*. Non enim sufficit, Distinctionem attulisse, sed probatio insimul addi debet. De hoc nervosè ait Hornejus: *Divisio ipsa nihil probat aut ostendit; sed in probatione, tanquam notum quid aliàs, aut facilè cognoscendum, majoris lucis causa adhibetur.* (4.) *Sint usitatarum vocum*. Namque si Termini distinctivi adsint usitati, & classici; non alii sunt fingendi; quandoquidem adversarius, & auditor con-

funq

Respondente, & ejus Officio in specie. 109
funduntur; & ipse, qui his utitur, ar-
rogantiæ arguitur.

S. 23, Hinc *quintuplici modo in*
Distinctionibus peccare solet. (a) Si di-
stinctio pro ipsa probatione, & re-
sponsione venditatur. (b.) Si distin-
ctiones sunt quidem bonæ, ac veræ;
sed nihil ad propositam faciunt ma-
teriam, & ita malè applicantur. (c)
Si fundamento carent, v. g. Quum
veritas Propositionis dividitur in
Theologicam, & Philosophicam &c.
(d) Si planè sunt absurdæ, & impli-
cant contradictionem. v. g. quando
defectus distinguitur in positivum &
privativum: nam ipse defectus est
privatio. Aut si Accidens divideres
in illud, quod per se subsistat, & quod
in alio inhæreat: esset enim contra-
dictio in adjecto; quum Accidens
nihil aliud sit, quàm illud, quod in
alio inhæreat. Ejusmodi inepta di-
stinctio esset etiam, si *Quantitatem*
E 7 divi-

divideres in Substantialem & Acci-
dentalem: & plura similiter. (e) Si
vocalibus distinctivis aliquis utitur,
quæ sunt ignota omnibus, & plus ob-
scuritatis, quàm evidentia habent.

§. 24. Quamvis quidem Proposi-
tio, quæ Limitatione eget, etiam à
Respondente negari possit, certò
quidem respectu, uti antè diximus
§. 18. & 19. Attamen quum major ars
& eruditio sit in Distinctione & Li-
mitatione, id propter illa, (nisi Pro-
positio manifestè falsa sit) præ Ne-
gatione locum habeat: quin etiam
*placidior responsio anteferenda est a-
superiori.*

§. 25. Quartus respondendi modus
sit per *Concessionem*. Locum is ha-
bet, si Opponens non rectè contradi-
xerit thesi, tum Respondens conce-
dat OppONENTI totum argumen-
tum.

§. 26.

Respondente, & ejus Officiò in specie. III

§. 26. Hic non omittere volumus duas illas controversias, quas etiam Danhauerus sub decisionis incudem refert, Sect. I. §. 42. & seqq. Quarum altera est: *an Respondentem oporteat ad quodlibet sophisma respondere?* Altera: *an Facultatum superiorum, Doctor, & Professor teneatur respondere ad argumentum Philosophicum?*

§. 27. Quod ad primam Controversiam attinet, eam demonstratum est CL. Danhauerus variis rationibus. Nos nemini hanc in re præceptum, minimè transgrediendum imponimus. Hoc tantùm dicimus: Si Opponens ludicra, & cavillationis gratiã argumenta profert, quum tamen præsumendum sit, quod Respondentis eruditio nullò negotiò ista solve-
re possit, tum non omninò est prohibitum, quò minùs Respondens ea spernat, nec ullã assumptione, nedum responsione, dignetur. Cum primis
quar-

quando Opponens longè inferior est Respondente, quâ doctrina, quâ dignitate. Testis hîc esto quotidiana experientia,

§. 28. Si tamen respondere velit, ostendat ludenti & cavillanti adversario, quò dementiæ processerit; ulterioreque responsionem ad similia prorsus deneget.

§. 29. Quod *alteram Controversiam* concernit, distingvit Danhauerus inter Disputationem, quæ est *Præceptorum cum discipulo*, atque ad eò *exercitationis gratiâ* instituitur; & inter eam, quæ est *seria ac decretoria*, ac ferè *inter pares*. In *priore* Præses, qui magis à Respondentis stat partibus, Opponentem jubeat primariò ex propriis principiis, secundariò ex Philosophiâ argumentari. In *posteriore*, Respondens nequeat præscribere Opponenti, quale argumentum in medium afferat; unde

nec

Respondente, & ejus Officio in specie. 113.
nec ad Philosophica responsionem
dare detrectet; maximè, quòd suprà
sit ostensum, Philosophica principia
ex Theologlà, Jurisprudentiâ, &
Medicinâ, non planè esse extruden-
da; ita tamen, ut sanò, dextròque
sensu assumantur, & applicentur, hoc
est, ut superior Facultas Potestatem
habeat limitandi Philosophica prin-
cipia, & genuinò modò ad suam ma-
teriam restringendi.

§. 30. Huc usque Respondentis
primarium officium. Sequitur pau-
cissimis *secundarium*, quod itidem in
stratagematibus, ac dolis consistit.
Ubi rursus *Danhaueri* numerum *Id.*
B. D. Sect. 1. §. 44. consequemur;
sed nostra Antistratagemata, & quod-
cunque prætereâ utile erit, adjicien-
tes.

§. 31. Primum stratagma est:
Retorquere argumenta in Opponen-
tem, & aliud fortius objicere. Hoc
aver-

vertet Opponens (1.) Si ostendit Respondenti, hoc non esse verum ac legitimum, (nisi sit justa instantia) solutionis modum: Respondens enim suas partes non impleverit, si argumenta non solvat; sed argumenta in contrarium afferat. Teste Hornejo cap. 8. num. 2. de Processu. (2.) Si negat expressè, se esse assumpturum ideò, quòd sibi non conveniat.

§. 32. Alterum: Negare omnia, nec addere negationis rationem, nec ponere legitimam instantiam, sed semper urgere probationes, & probationum probationes in infinitum, donec Opponens aut in errorem delabatur, aut probationibus careat. Cavebit sibi ita Opponens, ut statim primæ negationis probationem à Respondente poscat, nec aliam probationem proferat. Si excipit Respondens, incumbere probandi officium Opponenti, vicissim objiciat.

Oppo-

Respondente & ejus Officio in specie 115
Opponens ex §. 13. hujus cap. Nimirum competere Respondenti suarum
responsionum rationes dare, licet à
thesium suarum probatione sit im-
munis.

§. 33. Tertium: *Nullum Syllogis-
mum, nisi in primâ Figurâ accipere,*
quò fit, ut craciet Opponentem Re-
ductione Syllogismorum. *Duo hîc
Opponens defendendi media habet.*
(1.) ut ne pareat Respondenti, præ-
tendens, cæteras quoq; Figuras suam
habere perfectionem, & veritatem;
easque à Doctissimis Viris in Dispu-
tationibus usurpari. (2.) Ut Logicæ,
præcipuè particulæ ejus Reductio-
nis sit gnarus, quò, ne ignorantia su-
spicionem in se derivet, Syllogismos
suos ad Primam Figuram reducere
sciat.

§. 34. Quartum: *ad iram com-
movere Opponentem; quod agit, irri-
dendô, illudendô, contemnendô, &
simi-*

similibus. Huic Opponens resistat suâ mansuetudine, & placidè Respondenti suam iniquitatem obvertat: petatque, ut quum vilissima sint argumenta sua, & contemnenda, eò faciliùs & ocius ad ea respondeat.

§. 35. Quintum: *illa negare, ad quæ probanda Opponentem novit parùm instructum.* Unicum Antistrategema erit, ut Opponens & Logica, & rei illius, de quâ disputatur, sit peritus: & ut negationis rationem à Respondente poscat.

§. 36. Nos addimus Sextum Strategema, quod est: *in assumendò aut aliquid addere, aut omittere, aut alienò sensu accipere.* Præcavebit Opponens fraudem, si repetat argumentum suum, & ejus verum sensum explicet.


§. 37.


Respondente, & ejus officio in specie. 117


S. 37. Si alia supersint stratagemata, alia etiam Antistratagemata ipse Opponens excogitabit. Jam Soli Deo gloriam damus, gratias illi immortales agentes, Et sicut cum illô nostrum fuit initium, ita quoque cum Eôdem nosces esto.


F I N I S.














~~Ung~~ IVa 181

ULB Halle

3

004 751 876



2

1812





